

Universitätsbibliothek Wuppertal

De M. Valerio Probo Berytio

Aistermann, Josef

Bonnae, 1910

Caput primum: De M. Valerii Probo vita et scriptis

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-3032](#)

prae-
ecun-
mque
randa
tione.
eteris
adeor
mque
orum
a dē
ōlo
VII
adhuc
ritate
ectio
utius
ctam
aedi-
riam
ater-
alios

ram
tur;
ulii
lter
lgus
gam

CAPVT PRIMVM: DE M. VALERII PROBI VITA ET SCRIPTIS.

Primo saeculo post principatum Romae ab Augusto institutum circumacto C. Suetonius Tranquillus memoriam collegit virorum quos Romana gens protulisset in litteris illustres. De professoribus disserens qui inde a grammaticae exordiis clari Romae exstitissent, nouissimum posuit M. Valerium Probum Berytum. Cuius uitae rerumque Suetonius testis est grauissimus, qui aetate proximus illius curiose uitam conscriperit. Duo potissimum sunt quae in hoc grammatico peculiaria tradidit Suetonius et a reliquorum grammaticorum usu discreta, quorum alterum est studium ueterum ab eo restitutum, alterum docendi genus.

Natus est M. Valerius Probus Beryti, quod oppidum bellicis calamitatibus dirutum a Romanis restauratum et quo coloniam deductam esse testatur Eusebius (Chron. ed. Schoene II 142) ad annum 15. a. Chr. n. Eodem anno duarum ibi legionum veteranos ab Agrippa conlocatos esse tradit Strabo XVI 735. Hoc oppidum amplissimis aedificiis exornauerunt Herodes Magnus et successores (Ios. bell. Iud. I 21, 11), ibidem Titus imperator Iudeis deuictis Hierosolymisque captis ludos edidit magnificentissimos (l. s. VII 3, 1). His igitur temporibus quibus Colonia Iulia Augusta Felix Berytus — haec enim integra legitur denominatio in titulis (CIL III 161. 165. 166. 6041) — maxime florebat nominis Romani in terra Graeca tamquam praesidium, natus est M. Valerius Probus. Nomen plenum hominem Romanae originis indicat neque nisi Romanus erat, centuriatum petere potuit. (cf. A. v. Domaszewski, Die Rangordnung des römischen Heeres, Bonner Jahrbücher 117 (1908) p. 83). Quapropter si rem ipsam consideraueris, improbabile non uidetur Probum familia militari ortum primum ad munera militaria adspirasse. Tamen ueritati obstare uidetur hominem non ita humili loco natum — id quod concludere licet ex silentio Suetonii qui diligenter in scribendis uitis suo loco adnotat generis humilitatem — neque mediocri censu praeditum, quippe qui schola se non sustentarat, qui rara scriptorum

De Suetonio
vitae Valerii
Probi scri-
ptore

Num centu-
riatum peti-
uerit Probus

exempla undique contraxerit¹⁾, centuriatum petuisse idque diu. Nam cum centuriones creari solerent e gregariis militibus (Liu. III 69, 8; Tacit. ab exc. Aug. I 44), mili i uero sedecim uel uiginti stipendia facienda essent, cumque praeterea Probus diu centuriatum petuisse perhibeat ita ut ultra tempus solitum sub uexillo mansisse putandus sit, negandum uidetur fieri potuisse ut his uiginti annis sub armis peractis studia grammatica eo successu repetuerit, ut eruditissimus ille euaserit quem tota antiquitas celebrauit uno consensu. Accedit quod librorum fides dubia esse uidetur, cum in Neapolitano ‘centuriatum petit’ legatur, in Vaticano ‘conturiatum petit’, ita ut Iulius Steup (de Probris grammaticis, Jena 1871 p. 2) ‘uigintiuiratum’ recte legendum esse sibi persuaserit; cui assensus est Bernardus Kuebler (De M. Valerii Probi Berytii commentariis Vergilianis, diss. Berol. 1881 p. 2). Tamen codex Vindobonensis, de cuius praestanti auctoritate disseruit Maximilianus Ihm in Mus. Rhen. uol. LXI (1906) p. 543 sqq. ‘centuriatum’ integre exhibit²⁾, ita ut de uocabulo recte tradito dubitari nequeat.

At centurionis nullumne erat munus apud Romanos nisi illud militare? Immo collegia plerumque diuidebantur in centurias uel decurias ad instar discriptionum militarium; quorum testimonia congesta sunt ab Hectore de Ruggiero (Dizionario epigrafico II 1 (1900) p. 188). Atque talium collegiorum principales nominabantur ‘patroni’, ‘quaestores’, ‘magistri’, ‘optiones’, ‘tribuni’, ‘decuriones’, denique ‘centuriones’ (in titulo Mediolanensi CIL V 5738). Tamen de huiusmodi centuria agi in Suetoniana uita minime est probabile ideo quod desideratur denominatio quaedam significans uelut fabrorum, baxiariorum, centonariorum, scalariorum similia³⁾. Centuriatum igitur cum dicat Suetonius omni

1) de pretio librorum cf. Th. Birt, Die Buchrolle Lips. 1907 p. 27 sq.

2) sicut Maximilianus Ihm comiter litteris mecum communicauit.

3) Non plane intellegitur quid significet titulus CIL III 139 repertus in Balbeck in moenibus in turri: *KENTYRIA IIPIMA*. Alium praeterea titulum non remoueris primo obtutu ab hac disquisitione quae est de grammatico centurionatum petenti, titulum dico CIL X 3969 ‘Auruncus era[t] Fu[r]ius erat nomine / magister ludi litterari Philocalus / . . . eius ossa nunc hic sita sunt, posita a centuris’; ubi adnotata leguntur ab editore: ‘quaenam centuriae titulum ludi magistro posuerint ut ignoramus, ita in collegiis quoque centurionatum locum habere constat’. Tamen certe ad Probi condicionem declarandam hic titulus non pertinet; etenim centuriatum petiuit Berytius, antequam ad studia se contulit. Ruggiero (l. s. s. p. 188) de collegio funerariorum cogitauit.

designatione omissa, cogitandum est de ordine militari quem petiuerit Probus. Tożam uero quaestionem qui fuisse modus petendi centuriatus et quae fuissent huius munieris uaria officia, nuper exposuit A. v. Domaszewski (l. s. p. 1 sqq.); qua in dissertatione demonstratum est centuriatum ordinem fuisse medium inter principales et militiam equestrem, ita tamen ut noui centuriones ex principalibus tantum crearentur¹⁾. Miles igitur omnibus muneribus principalium perfunctus cornicularius euadebat, quod munus aditum faciebat ad centuriatum (Domasz. 30). Ac saepius cornicularii suo tempore non promoti ordinem exspectabant; quales sunt ii qui in titulis nominantur ‘retentus’ ‘candidatus’ ‘petitor’ (Domasz. 33)²⁾. Promouebantur autem ex suffragio legati ab ipso imperatore, cuius rei ex multis quae contulit Domaszewski, adponam hoc exemplum CIL VIII 217 . . . militauit annis . . . in leg(ione) III A[ug(usta)] librari[u]s tesserari[u]s optio, signifer, factus ex suffragio leg(at)i [Aug(usti) (centurio)] militauit (centurio) leg(ionis) II Ital(icae) . . .

An putandus est Probus grammaticus omnibus his perfunctus esse muneribus militiae inferioris, quorum integer legitur decursus in eo quem supra posui centurionis cuiusdam titulo? Orbilium quidem ita fecisse Suetonius auctor est (de gram. 6) qui illum in Macedonia corniculo mox equo³⁾ meruisse functumque militia studia repetiuisse tradit. Sane non fuit ille grammaticus talis quo nemo praestantior esse possit, sed centurionis mores retinuisse uidetur, ut quem Horatius plagosum appellauerit. Neque tamen ita uilem censemus grammaticum fuisse illum cui Horatii pater filium instruendum commendauerit et Beneuentani statuam posuerint. Id quoque obseruandum est, centuriones futuros omnino non in castris tantummodo et in expeditionibus corpus triuisse animumque obduruisse, sed plerumque officio⁴⁾ adtributos praefecti uel legati, non raro in ipsa urbe Roma in officio praefectorum uigilum (Domasz. p. 8) uel praefecti urbi (p. 17) praefecti annonae (p. 67) in administrandis potius rebus occupatos

1) Eques Romanus si qui centuriatum occupabat, ordine remoueri solebat, cuius rei exempla ex titulis collegerunt Domaszewski p. 80 et Ruggiero p. 196 et Statius testis est cum dicat (silu. 5, 1, 94) ‘Pandere quis centum ualeat frenare maniplo intermissus eques’.

2) praeter Domaszewski de ‘petitoribus’ amplius disputauit Mommsen, Staatsr. III p. 547 adn. 15.

3) conferatur Domasz. p. 31 adn. 2.

4) de officio “Stab” vd. Domasz. p. 73.

fuisse¹⁾. Atque tale quoddam fuisse crediderimus etiam munus Orbilii quoad stipendia faciebat, quippe qui antequam corniculo meruit, magistratibus apparituram fecerit.

Neque tamen absoluta esse uidetur quaestio, ita ut Probum quoque ita fecisse iam pro certo statuamus. Neque enim omnino eum stipendia meruisse Suetonius perhibet, cum eum centuriatum petuiisse tradat tantummodo. Atque petere solebant centuriatum illis temporibus iuvenes qui omnino militia non functi essent, ueluti ille quem Iuuenalis finxit XIV, 193; et poetam rem ex ueritate proposuisse, testimonio confirmatur Dionis Cassii (52, 25) qui aperte de centurionibus uerba fecit qui sine tirocinio ordinem obtinuissent. Idem probant scriptores uitae Hadriani 10 'nulli uitem nisi robusto et bonae famae daret', uitae Pertinacis 1, 4 'puer litteris elementariis et calculo imbutus datus etiam Graeco grammatico atque inde Sulpicio Apollinari, post quidem idem Pertinax grammaticen professus est. Sed cum in ea minus quaestus proficeret, per Lollianum Auitum, consularem uirum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petit dein praefectus cohortis in Syriam profectus etqs.' Necnon conferenda sunt uerba P. Annii Flori (Vergilius orator an poeta p. 187, 3 Rossbach) 'scire te ergo nunc oportet, nullum maius praedium, nullam procriptionem, nullum honorem decerni quantus sit nostrae professionis. Nempe si mihi maximus imperator uitem, id est centum homines regendos tradidisset, non mediocris honos habitus mihi uideretur.' Neque mirum est iuvenes illius aeui tamquam ruere in centuriatum quasi omnium diuinarum spem atque promissionem; supra enim iam uidimus Pertinacem cum in grammaticae minus quaestus proficeret, centuriatum petuiisse. Neque aliter pater ille quem Iuuenalis finxit, filium exagitat ad petendum centuriatum ut 'locupletem aquilam illi sexagesimus annus adferat' (cf. Friedländer, Sittengesch. I⁶ 376). Etenim Augustum stipendum centurionum non mediocriter auxisse constat (Domasz. p. 111 et 193). Nam postquam milites legionarii non ex Italia tantummodo sed ex omni orbe terrarum conscribi coepti sunt, interesse salutis statusque rei publicae Romanae uidebatur imperatoribus, manipulis saltem praeesse principales Romanae stirpis. Qui ne deficerent, tamquam praemiorum loco centurionibus proponebantur diuinae honoresque. Nam huc aperte pertinet illa quam Dio

1) confer quae de posterioribus temporibus exposuit A. Müller, Die Primipilares und der Pastus primipili, Philolog. LXVII (1908) p. 134 sqq.

Cassius 52, 25 narrat ordinis promotionem. Ita centuriatus condicio dignitasque non modo ipsa ab imperatoribus aucta est, sed ad summos in re publica honores dabat aditum; qua de re exquisitus egerunt Ioachim Marquardt, Röm. Staatsverwaltung 1884² II 377, Mommsen, Röm. Staatsrecht 1887³ III 1, 547. His igitur pollicitationibus allecti qui ad centuriatum adspirabant iuuenes, militiae pettores uocari solebant. Atque Theodorus Mommsen adfirmauit illos militiae pettores ubique equites nominari in titulis. Quod si recte ille obseruauit, tamen quoad centuriae praerant, equestris dignitas latebat (Friedländer l. s. p. 377) et hi sunt quos Statius (l. s.) uocauit ‘intermissos equites’. Nam centuriatum, nisi tamquam exordium atque transitus erat ad ampliores dignitates, adeo equestris ordinis uiris interdictum fuisse supra uidimus (p. 3) ut qui eum occupaturi essent, omnino equestri dignitate se abdicarent, quales erant ii quorum nomina in titulis occurrunt addito ‘ex equite’ (Domasz. p. 80 adn. 7). Unde apparet recte quidem Theodorum Mommsen definiuisse condicionem eorum iuuenum qui centuriatum peterent eo consilio ut ordine perfuncti ad maiores ascenderent honores. At Probum equitem fuisse difficile sibi persuadebit qui ceterorum quos Suetonius attulit grammaticos, origines considerauerit¹). Itaque Probi condicionem qui aperire uoluerit, aptissimo utetur exemplo eo iuene quem Iuuenalis (l. s.) finxit centuriatum petentem, quem equitem fuisse neque poeta tradit neque omnino fuisse inde patet quod ultra centuriatus ordinem ad militiae equestris honores non transiturus supremum sibi ueluti praemium proposuerit primipilatus dignitatem. M. igitur Valerius Probus, spe et promissis centuriatus inuitatus, exempla adulescentium honeste natorum secutus, ordinem petiuit neque tamen ab imperatore promotus est; taedio depulsus ad studia se contulit. Quae cum Romae instituit, tum temporis ibi memoriam ueterum scriptorum abolitam fuisse Suetonius auctor est. Neque ita fuit Horatii temporibus qui priscos poetas aide lectos esse ab aequalibus testatur in epist. II 1, 53 ‘Naeuius in manibus non est et mentibus

De veterum
scriptorum
memoria
Romae ab-
olita

1) c. 5 libertinus, 6 libertus in Gallia, 7 ingenuus sed expositus a nutritore manumissus, 8 natione Syrus, 9 morte parentum destitutus apparituram . . . fecit, 10 libertinus, 11 libertus ex Gallia, 12 libertus, 13 propter litterarum studium manumissus, 14 haesit Cn. Pompeio et C. Memmio, 15 libertus, 16 libertus, 17 libertinus, 18 ordinis libertini, 19 seruus redemptus manumissus, 20 libertus, 21 ingenuus sed expositus permansit in statu seruitutis, 22 pugilis, 23 mulieris uerna textrinus postea manumissus.

haeret paene recens? Adeo sanctum est uetus omne poema'. Sed res ita mutatae sunt, ut grammatici et rhetores dedita opera ueteres scriptores neglegerent nouos paeponerent. Nam noui poetae Vergilio duce Horatio propugnatore (Eduardus Norden, Die antike Kunstprosa, Leipzig 1898 I p. 254 et adn.) ueteres loco submouerant neque quisquam iam eos legebat, primusque e ludis grammaticorum priscos relegauit Q. Caecilius Epiota (Suet. de gram. 16). Neque intra hoc constituit nouum saeculum ut ueteres obliuioni mandaret, sed impugnabat antiquitatem debatque contemptui. Qua in uoluntate longe acerrimus exstitit L. Annaeus Seneca (cf. Iulius Steup p. 64 sqq.) qui Neronem puerum a cognitione ueterum oratorum auertit (Suet. Nero 52), quem Quintilianus (inst. or. X 1, 125) non omnino quidem conabatur excutere sed potioribus (i. e. ueteribus) paeferri non sinebat 'quos ille non destiterat incessere'. Atque notum est ipsius Senecae iudicium de Cicerone Ennii laudatore quod seruauit Gellius XII 2, 8 'Non fuit Ciceronis hoc uitium sed temporis: necesse erat haec dici cum illa legerentur'. Cum rhetore iudicii similitudine coniunctus erat ex grammaticis Q. Remmius Palaemon qui ardenter partes capessebat poetarum nouorum, quorum principem Vergilium colebat quasi sui ipsius paeconem (Suet. gram. 23), quiue adeo discedebat a ueterum studio ut Varronem porcum appellaret. Neque in schola ille ueteres scriptores discipulis paelegisse uidetur, siquidem Persius tum demum Lucilium legere coepit postquam a schola magistrisque deuertit. Atque tum fortasse recte de Palaemone qui primus τέχνην Latinam conscripsit, indicabimus, cum nobis persuaserimus omnem illum nouorum poetarum noui sermonis cultum arte cum analogiae disciplina et Alexandrinorum nimia imitatione coniunctum fuisse et eodem contendisse. Contra horum uirorum iudicium atque uoluntatem exstitit ille grammaticus qui perinde ac Varro proportionis atque inaequalitatis disciplinas coniunxit, Valerium dico Probum, quem, si hanc rem spectes, recte Fridericus Leo (Plautinische Forschgen 1895 p. 27; griech.-röm. Biogr. 1901 p. 139) uindicem atque restitutorem grammaticae Varronianae appellauit.

Neque in cassum operam impedit Berytius; nimurum Quintilianus (inst. orat. I 8, 8) haec admonet: 'Multum autem ueteres etiam Latini conferunt, quamquam plerique plus ingenio quam arte valuerunt¹⁾, in primis copiam uerborum quorum in tragediis

1) cf. Ouid. am. I 15, 14 de Callimacho: 'quamuis ingenio non ualet, arte ualet'; trist. II 424 am. I 15, 19 comparat Spalding.

grauitas, in comoediis elegantia et quidam uelut ἀττικούσιος inveniri potest Sanctitas certe et, ut sic dicam, uirilitas ab iis petenda est quando nos in omnia deliciarum uitia dicendi quoque ratione defluximus'; quibus uerbis Quintilianum Senecae dicendi genus notauisse colligitur ex iis quae ille disputauit X 1, 125 sqq. Quae omnino prolata sunt a Fabio rhetore ex sententia Valerii Probi qui proprium atque incorruptum sermonem quo ueteres usi essent, ueram Latine dicendi normam esse iudicabat (cf. Gell. IV 7, Seru. ad Aen. XII 605). Nam re uera Quintilianum¹⁾ ea quae attulimus de legendis ueterum scriptis, admonuisse cognita doctrina Valerii Probi et secundum iudicium Berytii, ut statuamus cogimur uerbis Suetonii, qui postquam tradidit Romae aliter atque in ludis grammaticarum prouinciae ueteres non iam lectos esse primo p. Chr. n. saeculo medio, subiungit Probum acriter operam dedisse ut memoriam ueterum restitueret in scholis grammaticorum (nam Probum, quamvis animaduerteret ueteres libros sibi praelegenti nec gloriae nec fructui esse, nihilominus in proposito mansisse perhibet; quibus de uerbis conferas quae p. 20 disputata sunt). Anno autem 88 quo editus est liber III Martialis, Berytius Romae clarus litterarum iudex habebatur. Atqui si reperimus Quintilianum anno 96 ueterum scriptorum libros rursus in scholis praelegendos commendare, fieri non potest quin hoc Probi opera effectum esse affirmemus. Neque tamen ex bybliothe cis publicis ueteres remotos esse traditum est (cf. Tac. dial. 37) neque omnino ueterum libri euanuerant ex scriniis eruditorum ueluti Plinii, qui anno 67 (C. Plinii Secundi libr. VIII dubii sermonis rel. coll. J. W. Beck, Lips. 1894 p. XIX) Seneca mortuo libros dubii sermonis edidit refertos memoria ueterum scriptorum. Et Persius postquam a schola magistrisque deuertit, incidit in Lucilii carmina quae professores ei non praelegerant; Plinius (epist. I 16, 3) Pompeium Saturninum laudat 'ueterum aemulum'; quid? quod Seneca ipse inridet (epist. 114, 13) 'multos' eos qui 'ex alieno saeculo petunt uerba, duodecim tabulas loquuntur. Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, Appium usque et ad Coruncanium redeunt'. Haec ut statuerentur non leuis momenti erat ad recte aestimandum Probum tamquam ueterum litterarum

1) cuius tamen temperatum iudicium agnoscitur XII 10, 40, qui omnino in illo ueterum et recentium certamine medium quendam cursum tenuit (E. Norden, Antike Kunstprosa I 256. 269) sicuti fecerant Seneca pater et Tacitus; cf. Augusti sententiam apud Suet. Aug. 86.

restitutorem, qua in re nimium ei posteritas et nostrum aeum (cf. Frid. Leo, Plaut. Forschgen p. 28) tribuisse uidetur; nam apparet eum neque primum neque solum ueterum scriptorum libros ex communi obliuione repetiuisse, sed eius operam intra hos terminos circumscriptam esse ut ueteres Latini nominis scriptores in publicis scholis restitueret praelegendos.

De Probi studio ueterum

Diligentius igitur repetiuit Probus libellos quos in prouincia apud grammaticam legerat, plures deinde cognoscere cupiuit. Cum uero et aliis legendo eos notos faceret, contemptus est; neque tamen opprobria consilium eius fregerunt, sed abiecta spe gloriae spretoque fructu quem ingentem ex schola ceperat ille qui breui ante eum fuit Palaemon, cursum tenuit, ita tamen ut calamitate publicae scholae edoctus paucos tantum ad se admitteret tamquam discipulos quibus praelegeret. Operae sane pretium est ut quaeratur, quo tandem consilio ductus sit Valerius Probus ut adeo antiquorum scriptis studeret pronuntiaretque ex ueterum auctoritate, non ex recenti consuetudine regulam Latini sermonis repetendam esse; quae sententia omnino opposita erat ei doctrinae quae tum Romae uigebat a Plinio maxime custodita, utpote qui duas leges sermonis esse diceret proportionem et consuetudinem. Atque uiam demonstrat Suetonius ad initia studiorum nos reuocans Berytii. Nam magistellus ille Latinus qui Beryti¹⁾ in terra Graeca filios centurionum et mercatorum instituebat, Varronianae grammaticae, non nouae illius quae Romae aestate Augustea exstiterat Alexandrinorum omnino legibus adstricta, praecepta docebat puerisque ueteres poetas historicosque praelegebat tamquam uerae Latinitatis exempla. Porro, si recte totum caput Gell. XIII 21 ad Probum refertur, quo de argumento postea disseremus, alterum accedit testimonium quod rationis Probianae originem declarat. Nam quaestiuncula de dubio genere absoluta adnotationem subiecit auctor Gellii ex qua intellegitur eum secutum esse Homeri commentatorum praecepta. Atque notum est Aristarcheorum institutum quo παρ' Ὁμήρῳ τὰ τοῦ Ἑλληνισμοῦ γραμμάτων iudicabant (Apoll. de pron. p. 71, 25 Schneider-Uhlig; Lehrs, Arist.³ 353) et in declarando sermone Homericō recentiores scriptores (τοὺς νεωτέρους) amouebant tamquam non incorrupto genere dicendi usos (Lehrs p. 105 sqq. 299). Quam rationem Probum in recensendo Vergilio quem grammatici

1) Scholam grammaticam Beryti fuisse traditum non est. De scholis et bybliothecis Antiochi et Tarsi institutis cf. John E. Sandys, A history of classical scholarship 1903 I p. 163.

Latini inde a Palaemone (cf. Fr. Schöll, Rh. M. 34 [1879] 631) Homero aequiparabant, transtulisse appetet, siquidem ad Aen. XIII 605 adnotauit: „neotericum erat ‘flaos’, ergo bene ‘floros’.“ Neque diuersa erat sententia qua Vergilii locutionem defendens repudiata recentium consuetudine ueteres scriptores sanctissimos Latinitatis auctores esse pronuntiabat (cf. Gell. II 6, 6, qui Probi nomine oppresso non minus accurate quam Servius ad buc. VI 76 uerba interpretis descriptsse uidetur [cf. Rudolfus Reppe, de L. Annaeo Cornuto, Diss. Lips. 1906 p. 35]: ‘non igitur quia uolgo dici solet uexatum esse quem fumo aut uento aut pulvere, propter ea debet uis uera atque natura uerbi deperire quae a ueteribus qui proprie atque signate locuti sunt, ita ut decuit, conseruata est’). Atque interest uidere quos idoneos iudicauerit Berytius auctores. Neque enim sui saeculi neglexisse uidetur quemquam, cum Martialis eum finxerit seueri iudicii aequalium poetarum existimatorem. Tamen probasse ex primi saeculi poetis uidetur unum Persium, Neronis recentiumque poetarum oratorumque insectatorem. Sed Vergilium ab eo propositum esse Latini sermonis exemplum optimum supra docuimus (cf. praeterea Gell. XIII 21, 3), cum ex liberae rei publicae scriptoribus repudiaret fere neminem, praecipue uero probaret poetam illum uere Romanum, Naeuum dico, (Charis. GL I 198, 12K; Prisc. GL II 242, 20K), Atellanarum denique scriptorem Pomponium (Prisc. GL II 535, 20K), nominis Romani vindicem praeclarum Catonem (Seru. ad buc. VI 76), Romanarum historiarum scriptores Valerium Antiatem et Q. Aelium Tuberonem (Gell. VI 9, 11)¹⁾, Sallustium denique et Ciceronem. Propertii Tibulli Ovidii quem Seneca (nat. quaest. III 27, 3) poetarum ingeniosissimum iudicauerat, nomina frustra quaeres apud Probum. Denique qui Berytii rationem declaraturus est, eam omnino similem fuisse docebit atque accommodatam ei rationi quae Graecorum grammaticos mouerat ut Atticos scriptores unicos iudicarent uerae Graecitatis auctores. (cf. Norden, Kunstprosa I 361; W. Kroll, Rh. M. LII [1897] 574 sqq.; Alfr. Klotz, Klassizismus u. Archaismus, Arch. f. l. Lexik. XV [1908] 401 sqq.)

Qui uero ueterum sermonem normam constiturus erat, necesse erat ne implicaretur dubitationibus cum nesciret quid disissent ueteres; et omnis antiqui sermonis obseruatio futile erat

De libris re-
censitis

1) de cuius genere dicendi cf. Pompon. Digest. I 2, 2, 46 ‘sermone antiquo usus affectauit scribere et ideo parum libri eius grati habentur’.

nisi uerba emendata erant. Ideo recensiones scriptorum ueterum curauit Probus quibus ueluti fundamento uteretur in tractanda ratione sermonis.

De notis criti-
cisc

In emendandis libris Probus Aristarchi instituta secutus notis criticis usus est, id quod constat testimonio codicis Parisini GL VII 533, 3 sqq. K: 'his solis in adnotationibus Ennii Lucilii et historiorum usi sunt Varro S. Ennius Aelius aequae et postremo Probus qui illas in Vergilio et Horatio et Lucretio apposuit, ut Homero Aristarchus'. Omnem hunc de notis tractatum Suetonio adscriperat Theodorum Bergk secutus Augustus Reifferscheid (Suet. p. 419), ex Suetonio uero Isidorum sua sumpsisse contenderat. Sed Paulus Weber (Quaestionum Suetonianarum capita duo, diss. Hal. 1903 p. 3) dubitauit an recte totum anecdotum Suetonio tribueretur, deinde (p. 7 sqq.) docuit, Isidorum non ipsum Suetonium adiisse, sed inter episcopi Hispalensis expositionem et cod. Paris. tractatum uarios uariorum temporum commentarios intercessisse quorum stemma proposuit p. 24. Utcumque est, ea quam supra descripsi pars Suetonii temporibus procul dubio scripta est propter illud 'et postremo Probus', quibus uerbis recens ille antiquioribus oppositus est.

Atque ita comparata est enuntiatio uerborum, ut omnes Latini enumerati esse uideantur, et grammatici qui notis criticis usi sint et libri quibus eas adposuerint¹⁾. Quod si est, eo tempore quo haec de notis disquisitio scripta est, cognitas fuisse ex Probianis recensionibus tres tantummodo, Vergilii dico Horatii Lucretii, appareat. Tamen Terentii quoque fabulas eum recensuisse, huic rei testimonio est commentum Donati. Quae si recte disputata sunt, efficitur ut Terentium recensuerit Berytius post Vergilium Horatium Lucretium et scriptus sit hic de notis tractatus ante Terentii illam recensionem uiuo etiam tum Probo et ideo seiungendum sit a libro de grammaticis et rhetoribus post mortem Berytii scripto. Recte igitur Suidam, cuius testimonium Augustus Reifferscheid tollere studuit, singularem libellum Suetonii indicauisse appareat, cum tradiderit ἔγραψε περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων βιβλίον α'.

De notis Pro-
bianis

Aristarchi notae neque omnes neque omnibus temporibus eaedem in usu erant neque quid significant in promptu erat.

1) nam Lampadionem omnino notas adhibuisse traditum non est. Quod dicit Gellius XVIII 5, 11 'librum summae atque reuerendae uetustatis quem fere constabat Lampadionis manu emendatum', de notis nihil dicit, sed menda tulisse grammaticum perhibet.

Inde illius modi commentarii uelut Aristonici περὶ σημείων Ἰλιάδος, Diogenis siue Diogeniani (cf. Suidas s. v.) περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων, inde Dionysius Thrax Aristarchi signa in scholis suis interpretabatur (Schol. Venet. A ad O 86). Neque tamen omnino ad Aristarchi notandi genus Valerius Probus se retulit, sed nouis quibusdam usus est quas Aristarchus non adhibuerat. Nam hic septem usus est notis quae in unum conspectum congestae leguntur in nonnullis commentariolis Graecis epimetri loco adpositis ab Augusto Reifferscheid in rel. Suet. edit. p. 141 sqq. Sunt autem hae: διπλῆ, διπλῆ περιεστιγμένη, δύελός, ἀστερίσκος, ἀστερίσκος μετὰ δύελοῦ, ἀντίσημα, ἀντίσημα περιεστιγμένον, cf. Pauly-Wissowa enc. II 866. Quae notae in cod. Paris. tractatu de XXI notis leguntur ea re insignes quod priorem commentarioli partem occupant, ornatae praeterea adnotatione ueluti 'sic Probus et nostri'¹⁾. Nam totius XXI notarum indicis aperte discernuntur duae partes quarum prior pertinet ad antisigmatis explicationem (140, 12 R), et ea re diversi sunt huius partis tituli a sequentibus quod multo ampliore declarantur explicatione. Altera pars incipit inde a coronidis explicatione (p. 140, 13 R). Intercidit in fine explicatio alogi, quam ab initio non defuisse ea re probatur, quod nomen alogi legitur (p. 138, 4 R) in indice toti commentariolo praeposito. Explications genere sunt multo concisiore, carent adnotatione qua Probum et Latinos iis usos esse perhibeatur. Tamen duae a Probo adhibitae esse uidentur quarum altera est auersa obelismene <'quae in margine ponebatur si quae ad aliquid respicere uidebantur'. Quam notam recte inter Probianas referri inde colligitur quod exempli loco adscriptus est uersus Aeneidis X 88, neque praeter Berytum notas criticas in Vergilio apposuisse traditus est quisquam. Alogi nota Probum usum esse Seruius docet ad Aen. X 444.

Expositioni XXI notarum subiuncta legitur in codice Paris. altera quaedam comprehensio notarum, quas si excusseris, non nullarum usum non ita differre animaduertes a notis Aristarchi; ueluti illud '⇒ bis dictum' idem fere valet atque (139, 2 R) 'ἢ quem Aristarchus ponebat ad eos uersus qui hoc puta loco

1) nam 'simplicis ductus' notam, quae in supra dictis indicibus graecis non enumerata est, et in cod. Parisino legitur non adiecta illa adnotatione de Probo et Latinis, falso notis Aristarcheis insertam esse appareat. De 'simplicis ductus' notula, cuius ratio omnino accommodata esset uncino illi a Iouiali adhibito in codice Bembino disseruit Robertus Kauer, Wien. Stud. XXII (1900) p. 59 adn.

(recte) positi erant cum aliis scilicet non recte ponerentur', tum illa '— repugnans' et illa 'H ~~ꝝ~~ recte positus et pugnanti contrarius' non seiungenda sunt ab Aristarchi nota diples (p. 139, 19 > diple.. usus est ea in multis Aristarchus nunc ea quae praeter consuetudinem tam vitae nostrae quam ipsius poetae apud eum invenirentur adnotans' = Anecd. Rom. p. 142 R διπλῆ παρατίθεται πρὸς τὰ ἐναντία καὶ μαχόμενα). Conferas praeterea '— praepositum sine consequenti — consequens sine praeposito' = (p. 140, 26 R) '>= recta et auersa superne obelatae ponuntur cum eadem significant similemque sequentem esse'. In uniuersum autem si naturam illarum notarum perpenderimus, eas pertinere intelligemus ad exercitationes rhetoricas. Nam de metaphrasi tamquam genere exercitationis conferas quae Fridericus Marx disputauit in Prolegomenis ad auct. ad Her. p. 117; ceteris uero notis apparet indicari illas e quibus argumenta promerentur tamquam sedes (*tόποις*) quas in progymnasmatis discipuli respiciebant unde omnis in utramque partem traheretur oratio. Etenim ut ingenia acuerent pueri, et aliis exercitationibus studebant et fabulis fidem firmare aut demere solebant quod genus ἀνασκευάς et κατασκευάς vocabant (Suet. de rhet. 1 p. 122, 4 R). Quae προγυμνάσματα quomodo instituerentur docuit Theon rhetor (II p. 76, 5 Spengel): ἀνασκευάσομεν δὲ καὶ κατασκευάσομεν τοῦτον τὸν τρόπον· ἐπεὶ γάρ καὶ αὐτὸς ὁ μυθοποιὸς ὅμολογεῖ καὶ ψευδῆ καὶ ἀδίνατα συγγράφειν, πιθανὰ δὲ καὶ ὀφέλιμα, ἀνασκευαστέον μὲν δειπνήτας ὅτι ἀπίθανα καὶ ἀσύμφορα λέγει. κατασκευαστέον δὲ ἐκ τῶν ἐναντίων· ταῦτα γάρ ἔστι τὰ ἀνωτάτω κεφάλαια, εἰς ἡ τὰ κατὰ μέρος ἐμπίπτει, et infra 76, 14 ἔπειτα δὲ μεταβαίνειν ἐπὶ τὴν ἐπιχειρήσιν καὶ ἀνασκευάζειν τῶν εἰρημένων ἔκαστον ἐν μέρει, ἀπὸ τῶν πρώτων ἀρξαμένους καὶ πρὸς ἔκαστον μέρος τοῦ μύθου ἐφ' ἔκαστον τόπου λόγων εἰπορεῖν πειρωμένους. ληπτέον δὲ τὰ ἐπιχειρήματα ἐκ τόπων τῶνδε· ἐκ τοῦ ἀσφαροῦ, ἐκ τοῦ ἀπίθανου, ἐκ τοῦ ἀπρεποῦ, ἐκ τοῦ ἐλλιποῦ, ἐκ τοῦ πλεονάζοντος, ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ἐκ τοῦ ἀνομοίου, ἐκ τοῦ ψευδοῦς. Quorum τόπων nonnulli aperte indicantur in notis illis de quibus quaerimus, ueluti Μ..ἀπρεπές = τὸ ἀπρεπές Theonis: II contra historiam = τὸ ἀπίθανον Theonis (cf. in expositione sequenti p. 77, 14 Sp. τὸ δὲ ἀσυνηθές ἔστι τὸ παρὰ τὴν πεπιστευμένην ἴστορίαν); Θ supervacuus = τὸ πλεονάζον Theonis; — repugnans = τὸ μαχόμενον Theonis; — praepositum sine consequenti — consequens sine praeposito = Theonis p. 77, 20 (in explicatione τοῦ μαχομένου): τούτῳ δὲ κρηστέον οὐκ ἐν ἀρχῇ. ἀλλ' ὅταν τι τῶν μέσων ἢ τελευταίων

ἀνασκευάζωμεν, ἔπειτα καὶ ἐναντίον αὐτὸ δεινώμεν τοῖς προειρημένοις· ἀπό γε μὴν τῆς τάξεως ἐπιχειρήσομεν ἐλέγχοντες ἢ μὲν ἔδει πρῶτον ἐν τῷ μέθῳ ὅρθηγαι, οὐκ ἐν πρώτοις ἀπηγγελμένα κτλ.

Quod si quaesiuferis num Probus talibus notis usus sit, statim menti succurrit concisa illa quam Seruius seruauit adnotatio ad Aen. XI 554 ex ipsius procul dubio Probi exemplari transcripta: ἀπίθανον πλάσμα. Neque dubitationem moueat quod non de mytho quodam, sed de historia dictum sit, cum ipse Theon (p. 78, 12) praeceperit: οἱ δὲ αὐτοὶ τόποι χρήσιμοι καὶ πρὸς τὴν τῶν διηγημάτων ἀνασκευὴν τε καὶ κατασκευὴν. Atque fusius disserit περὶ τοῦ πιθανὴν εἶναι τὴν διήρησιν p. 84, 18 et exemplum proposuit p. 94, 12 παραδείγματος δὲ ἔνεκα δὲ λόγος ἡμῖν ἔσται ἐφ' ἐνὸς τόπου τοῦ ἀπίθανον. Littera illa **II** facile coniecerit quispiam **Π** (λάσμα) significari. Deinde notas ‘— repugnans — consequens sine proposito’ recte aliquis conferat cum adnotatione schol. Veronens. ad Aen. IX 369: ‘Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse (Aen. VII, 600) ‘Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas.’ **M** nota qua τὸ ἀπρεπές significabatur, conferenda est cum Valerii Probi reprehensione Vergilii qua ‘nequaque conueniens’¹⁾ poetam fecisse contendit (Gell. IX 9, 12 sqq.). Atque refert hac in re Theonis expicationem τοῦ ἀπρεποῦς repetere quam exposuit ille p. 76, 32: τὸ δὲ ἀπίθανόν ἔστι τὸ δυνατὸν μὲν γενέσθαι ἢ λελέχθαι, ἀπιστούμενον δὲ εἰ γέγονεν ἢ εἴρηται ἦτοι διὰ πρόσωπον ἐφ' δὲ ἡ πρᾶξις ἢ δὲ λόγος ἀναφέρηται (Nausicaa ludibunda, Dido cultu atque incessu serio) ἢ διὰ τὸν τόπον ἐνῷ λέγεται γενέσθαι τι ἢ εἰρῆσθαι (Nausicaa in locis solis, Dido in urbe media; Diana inter agrestes deas, Dido inter Tyrios principes) ἢ διὰ τὸν χρόνον καθ' ὅν λέγεται τι γενέσθαι ἢ λελέχθαι ἢ διὰ τὸν τρόπον τῆς πράξεως ἢ τοῦ λόγου ἢ διὰ τὴν αἰτίαν τῶν αἰτῶν τούτων λεγόντων ἡμῶν ὅτι οὐκ εἰκός ἔστι τῷ τοιούτῳ τόδε τι πρᾶξαι ἢ τόδε τι εἰπεῖν ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ἢ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἢ τοῦτον τὸν τρόπον ἢ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν. δὲ λόγος ἔστι καὶ περὶ τοῦ ἀπρεποῦς (cf. Gell. IX 9, 14: nihil eius similitudinis capere possit quae lusibus atque uenatibus Dianaē congruat). Θ nota qua superuacuus uersus significabatur, con-

1) Isidor. R. L. p. 514, 6 H. ‘Anasceuae prima divisio est in inconueniens et mendacium. Inconuenientis species sunt quod dishonestum est et quod inutile. Mendacium tres habet species: incredibile .. impossibile ... contrarium’ quibus cum uerbis conferendus est Hermog. prog. Sp. II 8, 30; 9, 2 sqq. (Iustinus Woehrer, de A. Cornelii Celsi rhetorica, diss. Vindob. VII [1903] p. 101 sqq.)

ferenda est cum adnotationibus Probi ad Aen. II 173; IV 418; I 21; cf. Ennii annal. 625 Vahl. et adnot. editoris.

Iam apparent, has notas 'simplices' quae uocantur, quodammodo coniunctas esse cum Valerii Probi adnotatione in Vergilio. Certum tamen iudicium, quae est anecdoti Parisini incerta et uexata condicio, pronuntiari posse non uidetur. Hoc uero subiungam, omnem hunc cod. Paris. de notis tractatum concludi uerbis his: 'de notis probianis EXPL. NOTE' (GL VII, 536, 23 K).

Quomodo
comparatae
fuerint recen-
siones Probi

Operam quam Probus impedit in tractandis scriptoribus Suetonius expressit tribus his uocabulis emendare distinguere adnotare. Atque diuersam sibi quisque finget Probianarum rectionum formam, prout senserit de significatu uerbi quod est adnotare. Quod ad interpretandum Iulius Steup (p. 25—34) non mediocrem contulit curam Theodorique Mommsen sententiam secutus statuit (p. 34) adnotare apud Suetonium non esse adnotationes conscribere, sed notas criticas adponere. Quam in sententiam deductus erat ille non exiguae sane eruditionis et acuminis uir ea qua decipiebatur duorum Proborum opinione, ita ut ei illae adnotationes quae multae leguntur in commentis Seruui Donati Veronensibus Bernensibus, a Probo Berytio abiudicande esse uiderentur. Quam opinionem de duobus Probis, altero Berytio Suetonio altero Gelliano post W. Teuffel (Rh. M. 26 [1871] 488) a uero abesse demonstravit Bernardus Kuebler in dissertatione Berolinensi de M. Val. Probi commentariis Vergilianis 1881 p. 1—10. Adnotare autem, ubi dictum est de Probi opera, idem ualere atque adnotationibus instruere textus scriptorum et maxime ad notas cur posita sint explicandas, eius rei exemplum aptissimum est commenti Seruiani adnotatio ad Aen. I 21: 'In Probi adpuncti sunt et adnotatum (adnotandum cod., corr. *Scioppius*): hi duo si eximantur etq.' Aliae praeterea adnotationes quae recensionum Probianarum figuram quales fuerint illustrent, leguntur Seru. Aen. IV 418; IX 811; XII 605; Schol. Veron. Aen. IX 373; Don. Phorm. I 1, 15; Hec. prol. I 2, 3. Atque hanc quam intelleximus significationem adnotandi re uera ex usu sermonis et aeui Suetoniani esse, comprobatur uerbis Frontonis qui adnotationes libris quibusdam adscriptas amico legendas misit: (p. 160 Nab.) 'Ciceronianos emendatos et distinctos habebis; adnotatos a me leges ipse; in uolgus enim eos exire quare nolim, scribam diligentius.' Itaque hac quoque in re Berytius diuersus fuit ab Aristarcho qui ita non explicationes notis adiungebat ut earum uis posteris aperienda esset commen-

tariis conscriptis (cf. p. 11). Iam supra uidimus numero quoque atque genere notarum Probum ab Aristarcho secessisse.

Suetonius postquam Probum occupatum fuisse tradidit in emendandis distinguendis adnotandis scriptoribus, adiunxit huic soli nec ulli praeterea parti grammatices eum deditum fuisse. In explicandis his uerbis, qui de studiis Probi egerunt ita uersati sunt, ut testimonio hoc Suetonii freti studia Berytii angustioribus quibusdam circumscriberent terminis, cum eo potissimum contenderent ut commentarium in Vergilium quippe cuius ambitus et natura Probiana doctrinae non conueniret, Berytio abiudicarent. Veluti Iulius Steup, studia Valerii Probi definiens, pronuntiauit (p. 44) eum ‘soli scriptorum emendationi neque lectioni carminum studuisse neque enarrationi neque iudicio’. Deinde Bernardus Kuebler (l. s. p. 4) saniore usus iudicio Suetoniana uerba dicta esse docuit non de scientia grammatica, sed de munere grammatici; omnia studia quae ad interpretandos scriptores pertinerent, coluisse Berytium, hac tantum in re munere grammatici neglecto quod non docuisset pueros tamquam magister; porro uerum uestigia premens Alexandri Riese qui de commentario Vergiliano disseruerat (Bonnae 1862), mythologicas philosophicas geographicas res eum respexisse negauit ideoque Vergilianos commentarios talibus potissimum argumentis refertos a Probo conscribi nequisse affirmauit; cf. praeterea P. Wessner, Burs. Jahresber. 138 (1908) p. 153. Enimuero, ut ad Suetoniana uerba nos referamus, quae studia occupationesque Probi Suetonio innotuerant? Nouerat Suetonius recensiones, lectiones antiquas horis postmeridianis habitas, quaestiu[n]culas editas, siluam observationum sermonis antiqui post mortem relictam: quae studia omnia ita parum inter se diuersa uisa sunt ut ea unius partis grammaticae nomine comprehendere scriptor non dubitauerit. Haec autem pars continebatur omni tractatione scriptorum, id quod recte iam docuit Kuebler; nam in ea uersabatur grammaticus cum scriptores emendaret, scriptores tractabat cum eos praelegeret horis postmeridianis, neque a tractatione scriptorum aliena esse poterat obseruatio sermonis antiqui. Pro hac autem grammaticae parte reliquas Berytium neglexisse Suetonius auctor est. Sed quaenam erant hae ceterae partes grammaticae? Atque praeclara est grammaticae definitio eiusque partium descriptio Dionysii Thracis p. 5 Uhlig¹⁾ (cf. Quint. inst. or. I 8, 13—19).

1) ubi conferenda sunt quae editor adnotauit, neconon quae Balduinus Heinicke disseruit de Quintiliani Sexti Asclepiadis arte grammatica, Strassburg 1904 p. 3 sq.

Videndum igitur num his partibus Probus suffecerit. Atque prima pars grammaticae posita est a Dionysio ἀνάγνωσις ἐντοιχίης κατὰ προσφύσιαν (Quint. I 8, 13 ‘pedum proprietates’) cui deditum fuisse Probum constat testimonio Gellii IV 7 ‘nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexe promatur, numerus clausurus est’, cf. Gell. VI 7, 3 ‘Itaque se audiente Probum grammaticum hos uersus in Plauti Cistellaria legisse dicit . . . causamque esse huic accentu dicebat’ etq.s. Dionysii altera pars est ἔξιγγησις κατὰ τοὺς ἐνυπάρχοντας ποιητικὸς τρόπους (Quint. I 8, 16 ‘tropos’) = Gell. III 1, 5 ‘Valerium Probum audiui hoc dicere: usum esse Sallustium circumlocutione quadam poetica’; cf. Brevis exposit. georg. I 224 (‘translatio’); Seru. Aen. XI 830 (‘hypallage’); Schol. Veron. Aen. II 173 (‘epitheton’). Tertia Dionysii pars est γλωσσῶν τε καὶ ιστοριῶν πρόχειρος ἀπόδοσις (Quint. I 8, 15 ‘glossemata’ 18 ‘enarratio historiarum’) = Don. Phorm. II 3, 25, ‘male loqui pro male dicere, et quaerit Probus quis ante Terentium dixerit’; cf. Schol. Veron. Aen. IX 373 (‘sublustris’); Seru. buc. VI 76 (uexare); Diomed. 364, 28 (manduco, edo); Diom. 365, 9 (praefoco); Don. Phorm. I 3, 3 (incogitans, cogitans). De historiis Probum quaesiuisse Macrobius testatur Saturn. V 22, 9: ‘in hoc loco (georg. III 391) Valerius Probus uir perfectissimus notat nescire se hanc historiam sive fabulam quo referat auctore’ cf. Seru. Aen. I 44. Originem uerborum, quod studium quarto loco posuit Dionysius (*τέταρτον ἐνυπολογίας εὑρεσις*) Probum aperuisse constat testimonio Donati ad Hec. prol. I 2, 3 ‘CALAMITAS παρὰ τὴν καλάμην dicitur. clades quia clam datur, ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti aut doli mali. sic Probus.’ *Ἀναλογίας ἐλογισμόν* quem Dionysius quintum posuit, Probum exercuisse qui omnino definitiones certasque leges sermonis esse noluit (Gell. XIII 21, 1) non exspectandum est; tamen si Quintilianus explicationem quae hic pertinet, consideraueris (I 8, 14): ‘deprendat (grammaticus) quae barbara, quae impropria, quae contra legem loquendi sint posita’, repetendae erunt Probi obseruationes uelut illa ad Aen. XI 566 ‘CAESPITE Probus ait: caespite καταχρηστικῶς (ita enim legendum uidetur cf. p. 66) pro campo, scilicet quod caespes glaeba sit’; cf. Seru. Aen. VI 473 (pristinus, prior). Ultimam partem posuit Dionysius κρίσιν ποιημάτων δὲ δὴ καλλιστόν ἔστι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ, (Quint. I 8, 17 ‘praecipue uero illa infigat animis quae in oeconomia uirtus quae in decore rerum, quid personae cuique conuenierit’ etq.s.). Cui parti Probum non

defuisse testimonio est illa adnotatio Don. Phorm. V 9, 16: 'MI HOMO DI MELIVS DVINT quaerit Probus an matrona tam familiariter recte dicat alieno'. Egregium praeterea exemplum est existimatio illa Vergilii apud Gell. IX 9, 12 sq. ('nequaquam conueniens Vergilium fecisse'); cf. Seru. Aen. XI 554 (*ἀπίθανον πλάσμα*); Schol. Veron. Aen. IX 369 ('contrarium'); Martial. III 2 ('nec Probum timeto').

Quae si recte disputata sunt, intellegitur Probum et Dionysium de partibus grammaticae non dissensisse. Quamquam ratione qua quisque singulas partes tractaret, alter ab altero ita diuersus erat, ut Dionysius proportionis legem exquirendam esse uoluerit, ut inde abscisis enormitatibus ducerentur τὰ ἐπὶ τὸ πολὺ λεγόμενα, Probus uero non leges sermonis, sed sermonem ipsum obseruare sibi proposuerit. Unde apparet Probianam definitionem grammaticae eandem esse atque illam Dionysii, sed omissa illo 'ἐπὶ τὸ πολὺ'.

Quod si Probus omnes Dionysianaes grammaticae partes coluit, De grammatica Latina
quae tandem sunt illae quas eum neglexisse affirmauit Suetonius? An diuersa erat apud Romanos grammaticae uis atque appellatio? Atque Varro quidem omnino Dionysii definitionem transtulit, ueluti Marius Victorinus GL VI 4, 4 K (fr. 91 Wilm.) tradit: 'Ut Varroni placet, ars grammatica quae a nobis litteratura dicitur, scientia est (eorum) quae a poetis historicis oratoribusque dicuntur ex maiore parte' (ώς ἐπὶ τὸ πολύ), necnon Diomedes GL I 426, 21 K (fr. 93 W): 'grammaticae officia, ut adserit Varro, constant in partibus quattuor: lectione enarratione emendatione iudicio'; cf. schol. Dionys. p. 115, 8 Hilg.: μέρη δὲ τῆς γραμματικῆς εἰσὶ τέσσαρα ἀναγγωστικόν διορθωτικόν ἐξιγγητικόν κριτικόν. Ex quo intellegitur Varronem perinde ac Dionysium omne grammaticae studium intra tractandos scriptores conclusisse. Verum haec definitio non semper uiguit: neque enim mediocriter amplificata legitur apud Quintilianum I 4, 2: 'haec igitur professio cum breuissime in duas partes dividatur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem, plus habet in recessu quam fronte promittit'; cf. I 5, 1: 'emendate loquendi regula quae grammatices prior pars est', I 9, 1: 'Et finitae quidem sunt partes duae quas haec professio pollicetur, id est ratio loquendi et enarratio auctorum'¹⁾. Aperte

1) Atque ne quis hanc 'recte loquendi scientiam' dicat Dionysii quoque grammaticae partem fuisse eamque Dionysium significauisse, cum in partibus grammaticae afferret ἀναλογίας ἐκλογομόν, cum analogia non aliud esset atque recte loquendi norma et regula (cf. Quint. I 6, 3), respondebimus aliud esse

igitur pronuntiat Quintilianus, praeter scriptorum enarrationem, intra quod studium Varro Dionysiusque grammaticam circumscripterant, necessariam esse alteram partem grammaticae, scientiam dico recte loquendi. Ex Latinis grammaticis hanc definitionem protulerunt Marius Victorinus GL VI 3,15—4,4 K et Diomedes qui scribendi quoque scientiam adiecit GL I 426, 15 K: ‘grammaticae partes sunt duae, altera quae uocatur exegetice, altera horistice. exegetice est enarrativa, quae pertinet ad officia lectionis: horistice est finitiua, quae praecepta demonstrat, cuius species sunt hae, partes orationis uitia uirtutesque. tota autem grammatica consistit praecipue intellectu poetarum et scriptorum et historiarum prompta expositione et in recte loquendi scribendique ratione’. Quatenus apud Graecos mutatum illud quodammodo grammaticae nomen receptum esset quosque auctores Graecos Quintilianus qui primus inter Latinos hanc definitionem exhibit, secutus esset, hac de re Balduinus Heinicke l. s. p. 3 sqq. disputauit. Qui uero Latinae grammaticae propriam quandam conditionem rationemque declaraturus est, apte ad ipsa artis Latinae exordia se referet. Nam cum Romae inlata esset Graeca grammatica, duo ibi aperte distinguebantur uirorum genera qui ei operam darent, quorum alteri fuerunt ‘L. Aelius Lanuinus generque Aelii Ser. Clodius, uterque eques Romanus multique ac uarii’ et in doctrina et in re publica usus’ (Suet. de gram. 3), tum M. Terentius Varro tribunus plebis pro quaestore classis praefectus XXuir (Gram. Rom. fragm. ed. Funaioli, testim. 6—12) neconon P. Nigidius praetor et senator, illi denique ‘clarissimi uiri’ qui non ‘abstinuerint quominus et ipsi aliquid de ea scriberent’. Alterum genus erant doctores illi, magistri ludorum, serui ad unum fere omnes uel liberti (cf. Suet. de gram. 3 et p. 5 adn.).

ex scriptorum usu testimonia colligere ex quibus proportionis lex comprobetur, aliud dedita opera de recte loquendi regulis disserere et praecepta tradere. Et recte scribendi porro scientiam, quam Diomedes (426, 15 sqq.) in simili grammaticae definitione addidit, Dionysius ita non ad grammaticam spectare iudicabat, ut, cum τέχνην conscriberet, ne mentionem quidem illius fecerit; cf. schol. Vatic. in Dionys. p. 114, 23 sqq. Hilg. Denique aliud esse unusquisque concedet proportionis observationes, si quae occurrant, interpretationi scriptorum tamquam partem subcere, aliud recte loquendi scribendique scientiam aequi-parare scriptorum interpretationi quasi alteram grammaticae partem. Viros Romanos praeterea hanc diuersitatem non fugisse colligas ex iis quae Suetonius (de gram. 4) tradit uerba Cornelii Nepotis, qui litteratum id est ‘qui aliquid diligenter et acute scienterque possit aut dicere aut scribere’ distinxit a γραμματικῷ Graeco ‘poetarum interprete’.

qui uel ipsi sibi suscepserant uel ad id a patronis conducti erant munus, ut eam quam Romani paulatim utilem honestamque esse agnouissent Graecam disciplinam, pueris adulescentulisque traherent. Qua in bipartitione facile agnoscas eam quae a Graecorum ingenio caeli spatio distabat Romana indeoles, qua turpe erat uiris Romanis docere quod honestum erat discere (Seneca controv. lib. II praef. 5), quo ex iudicio ea quoque profluxerunt quae leguntur apud Plinium in epist. IV 11, 1: 'nunc eo decidit ut rhetor de oratore fieret'.

Atque illi liberti et serui, qui perceptis liberalibus disciplinis perfecti atque idonei professores esse uidebantur, ob id 'litterati' appellari solebant teste Orbilio (Suet. de gram. 4), ut distinguerentur a litteratoribus¹⁾ id est mediocriter doctis. Sed mox ex consuetudine Graeca 'grammatici' uocari coepit sunt.

Atque Suetonius cum librum de grammaticis conscriberet, eorum quos supra dixi litteratorum ac clarissimorum uirorum, qui grammaticis studiis uacauissent, nomina quidem protulit in praefatione, in numerum uero grammaticorum Latinorum non nisi professores recepit (cf. Ioannes Vahlen, Opusc. Acad. I 1907 p. 46 sq.) atque Seuium Nicanorem tamquam primum grammaticum Latinum posuit qui primus docendo ad famam dignationemque uenit, ita ut appareat Suetonium censuisse munus docendi necessario cum Latini grammatici nomine coniunctum esse. Id quod tam uerum est, ut Varronis nomen, quem tamen γραμματικόν ex ratione Graeca dici nemo negauerit, in omni Suetonii libro ne legatur quidem nec magis Nigidius Figulus nominatus sit (cf. Cic. Tim. 1, 1 [testim. 10 Funaioli]: 'fuit enim uir ille cum ceteris artibus quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus'). Neque Plinium iudicauit Suetonius esse grammaticum, cuius tamen nomen qui nostro aevo de grammatica Latina scripturus sit, minime praeterire poterit. Quid inde? Apparet Valerium Probum, nisi professor fuisse, in libro Suetonii locum non habiturum fuisse. Suetonius ergo, qui eum intra numerum profes-

1) In has uero distinguendi subtilitates non descendebat uir Romanus, qui omnes quicumque docebant uel ludo praerant, siue grammaticus insignis siue magistellus quidam siue seruus Graecus siue libertus Latinus erat, uno appellationis termino comprehendebat, litteratores eos appellans ea designatione qua ante grammaticam Graecam in urbem inlatam elementorum scribendi legendique institutores appellari soliti erant. Sicuti Messalla Coruinus Catonem litteratorem uocauit, eundem quem Suetonius (de gram. 4) 'poetam simul grammaticumque notissimum' appellauit (cf. Bibaculi uersiculos apud Suet. de gram. 11).

sorum receperit, uerbis illis ‘nec ulli praeterea grammatices parti deditus’ certe non significauit, id quod Kuebler (p. 4) uoluit, eum munere docendi non functum esse. Accedit quod ‘partem’ grammatices (*μέρος τῆς γραμματικῆς*) dixit, non ‘officium’ aut ‘munus’; accedit quod discipulos Probi nominat Gellius IX 9, 12; accedit quod ipsa uerba Suetonii Probum professorem certe demonstrant. Etenim traditur Probus animaduertisse ueteres libros sibi nec gloriae nec fructui esse: gloriae autem ueteres libri cuiquam legenti esse non poterant nisi professori, sicuti Palaemonis ludi magistri nomen magna gloria celebrabatur. Neque enim aliquis ea quae de uita Probi a Suetonio perhibentur, recte interpretatus sit remotis ceterorum grammaticorum uitis aut maxime illo de Palaemone capite. Nam collatis illis quae Suetonius tradidit de gloria ingentique fructu quem ex schola cepisset Palaemon, facile tibi persuaseris in Probi quoque uita Suetonium, qui ubique de censu magistrorum mercedeque ex schola comparata sedulo commonere solet¹⁾, ‘fructum’ positurum fuisse tamquam mercedem e ludo partam. Et omnino quomodo dicere potuit Suetonius, Berytum animaduertisse ueteres libros legentibus non fructui esse, sed eum nihilominus in proposito mansisse? Quae uerba sensu carent, nisi intelleguntur de ludi magistro. Praeterea quae de opprobriis inlatis tradit Suetonius, ita interpretabimur ut collegas intellegamus ludi magistros Probo ueteres scriptores discipulis suis praelegenti obtrectantes. Nam non afuisse a grammaticis Latinis motus quosdam simultatis aemulationisque mutuae idem Suetonius commonet, qui Pompilium Andronicum, cum se in urbe non solum Antonio Gniphoni, sed ceteris etiam deterioribus postponi uideret, Cumas transiisse perhibet (c. 8; cf. c. 18 et 23).

Apparet igitur Probum, postquam ad studia se contulit, ludum aperuisse sicut reliqui grammatici Latini, neque tamen recentes poetas praelegisse, sed ueteres repetiuissime scriptores. Atque ob id molestiis uexatum adeo non eum munere professoris se abdicauisse tradit Suetonius, ut in proposito manserit.

Sed quid tandem, si omnibus quas Dionysius Thrax discripsit

1) c. 17 (Verrius Flaccus) ‘centena sestertia in annum accepit’; c. 23 (Palaemon) ‘quamquam ex schola quadringena annua caperet’; c. 7 (Antonius Gniphon) ‘nec unquam de mercedibus pactus eoque plura ex liberalitate dissentium consecutus’; c. 9 (Orbilius) ‘docuitque maiore fama quam emolumento’; c. 11 ‘in summa pauperie’; c. 13 ‘gratis et sine mercede’; c. 15 ‘schola se sustentauit’; c. 20 ‘liberalitate sustentatum’.

partes grammaticae, Berytius operam dedit, si officio docendi functus est, quid tandem Suetonius significare uoluit cum diceret eum ‘nulli praeterea parti grammatices deditum fuisse’? Atque uiam demonstrat idem Suetonius; nam pergit: ‘non tam discipulos quam sectatores aliquot habuit’, id est maturioris aetatis adulescentes, cum quibus cum uersaretur, ei magistri persona non sustinenda erat. Itaque non pueros, ueros illos ac proprios discipulos, sed paucos et tantum adulescentes ad se admittebat, sicuti fecerat Q. Caecilius Epirota (Suet. de gram. 16). Neque quod ita faciebat mirabimur; nam impatiens traditur fuisse laboris praeciendi persuadendique (Gell. XIII 21, 9). Iam affirmauerit quispiam: ergo ἐξηγητικήν illam uel enarratiuam partem quam dixit Diomedes (l. s. s.), ‘quae pertinet ad officia lectionis’, retinuit Berytius, utpote qui cum sectatoribus ‘legere quaedam’ perhibeat; ea autem quam neglexisse traditur partem, est illa δοξιστική uel finitiua ‘quae praecepta demonstrat’. Quod qui dixerit, sane prope ad ueritatem accesserit. Needum tamen omnem sententiam Suetonii aperuisse uidetur, siquidem Suetonius, cum dixerit ‘soli huic nec ulli praeterea grammatices parti deditus’, non de una parte quam neglexerit Berytius, sed de pluribus cogitauisse uidetur. Et re uera Quintilianus (I 9, 1), postquam duas grammatices partes, rationem loquendi et enarrationem auctorum, attulit, tamquam tertiam partem subiungit: ‘adiciamus tamen eorum curae quaedam dicendi primordia, quibus aetates nondum rhetorem capientis instituant’. Accedit quod sub ipsis Quintiliani et Suetonii temporibus controuersia erat, utrum haec primordia tradenda partes essent grammaticae necne. Itaque ut recte Suetonii uerba intellegantur, declarari oportet primum quae fuerit haec controuersia, deinde quae fuerit hac in re Suetonii sententia.

Nam Quintilianus, quamquam primordia quaedam dicendi, narrationes fabellarum uel apologetorum (I 9, 2; 6) grammatico facile concedebat, aegre tamen ferebat grammaticos aliquas occupauisse partes quas olim rhetores detinuissent; neque enim recte fecisse rhetores Latinos iudicabat, quod ‘cetera maioris operis ac spiritus’ genera ueluti paraphrases, laudes uituperationesque, sententias, chrias, ethologias grammaticis reliquissent (I 9, 1—6; II 1, 1—13); nam Graecos rhetores qui magis ‘operum suorum et onera et modum’ nouissent, etiamtum haec retinuisse. Et cum Graecos diceret rhetores, intellegebat eos qui Romae uersarentur, qui inde ex illo tempore quo omne Graecorum disciplinae genus

Romam translatum est, in urbe scholas aperuerant, Graeca lingua pueros ad Graecam disputationem declamationemque instituentes. Hi sunt illi, apud quos ut exerceretur Cicero puer inducebatur doctissimorum uirorum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ‘ali melius ingenia’ posse (Suet. de rhet. 2). Tales fuerunt denique Nicetas et Hybreas et Theodorus et Plutio quos nobilissimos artis rhetoricae Graecos praeceptores habitos esse Hieronymus tradit in Chronico ad annum ab u. c. 724¹⁾). Praeter rhetores Graecos grammatici quoque Graeci Romae docebant, quorum professio omni tempore secreta fuit a grammaticis Latinis (Quint. I 4, 1 [grammatico] ‘Graeco an Latino’; Asinius Pollio apud Suet. de gram. 10 de Ateio ‘grammaticus Latinus’; Suet. de gram. 20 ‘Cornelium Alexandrum grammaticum Graecum’; cf. CIL VI 9453 Q. GARGILIO LYSANDRO GRAMMATICO GRAECO, 9454 M. METTIVS EPAPHRODITVS GRAMMATICVS GRAECVS, 9456 Q. SPEDIOLEIO CERIALI GRAMMATICO LAT; cf. CIL II 2236; 2892 III 406 V 3433 X 3961). Neque tamen ita frequentes grammatici Graeci Romae fuisse uidentur nec magnae gratiae; nam ex preelectione poetarum Graecorum laudem quidem eruditio[n]is neque uero utilitatis fructum ducebat adulescentulus Romanus. Huius autem commodi atque usus spem amplissime pollicebantur grammatici Latini. Nam litterae utiles honestaeque Romanae genti uideri coepissent neque iam illa tempora fuissent quibus grassatoris opprobrio afficeretur qui poeticae arti studeret (Gell. XI 2, 5), tum exstisset supra diximus uiros, libertos fere omnes (Lemonnier, Étude sur la condition privée des affranchis p. 280), qui id sibi suscipiebant munus, ut pueris adulescentulis Romanis similem impertirent disciplinam doctrinamque atque eam qua apud Graecos imbui solerent pueri a grammaticis. Graecorum igitur instituta secuti puerorum ingenia acuere ac formare studebant maxime legendis operibus scriptorum, hac tamen re diuersi a collegis Graecis, quod, ut par erat in instituendis pueris Romanis, Latina utebantur lingua et Latina proponebant legenda scripta, praeterea quod dicendi quoque praecepta tradebant, ueluti Suetonius (de gram. 4) perhibet ueteres grammaticos et rhetorican docuisse et nonnullos usque ad ipsius tempora hanc consuetudinem retinuisse. Idem concludere licet ex libro Quintiliani qui dolebat, quod nonnullae

De grammaticis Latinis

1) Rhetorum Graecorum nomina ante Tiberii mortem Romae commortatorum collegit Alfredus Hillscher, Fleckeis. Jahrb. Suppl. XVIII (1891) 388 sqq.; de grammaticis Graecis disputauit inde a p. 367 sqq.

partes rhetoricae propriae a grammaticis Latinis occupatae essent; quam artium confusionem apud grammaticos et rhetores Graecos non fieri laudat (II 1, 13; I 9, 6). Graecis igitur grammaticis qui fere in interpretandis poetis se continebant (Suet. de gram. 4) hoc maxime propositum erat, ut omnino ingenia puerorum alerent excoolerentque (Suet. de rhet. 2); Latini uero grammatici, ut erat Romana gens ad utilitates imprimis intenta, praesenti potius seruiebant usui atque necessitatibus; et ideo cum rei publicae Romanae condiciones exigenter adulescentem non litteratum illum quidem, sed qui dicendo imprimis ualeret, magistri ex Graecorum artibus, et grammatica et rhetorica, in suam disciplinam contulerunt ea quae huic fini accommodata uiderentur. Graeca grammatica nata ex studio litterarum litteratum excolebat discipulum, Latina grammatica nata ex necessitatibus rei publicae utilem formabat patronum. Atque ille maxime probabatur Romanae genti perfectusque uidebatur esse grammaticus, cuius e ludo adulescentes statim in forum transissent atque in numerum praestantissimorum patronorum essent recepti (Suet. de gram. 4). Itaque Suetonium ex Romanis uiris eos qui remota omni docendi et utilitatis cogitatione ingenuo litterarum studio flagrarent, ne in grammaticis Latinis quidem numerauisse supra intelleximus (p. 19).

Cum uero postea mole ac uarietate operum opprimerentur De rhetori-
magistri Latini, secretae sunt professiones extiteruntque illi
bus Latinis (Fridericus Marx, Proleg. ad Auct. ad Her.
p. 141 sqq.), similitudine disciplinae atque materiae cum Graecis
coniuncti rhetoribus qui ipsi quoque Romae docebant, forma
uero ita diuersi, ut Latina tantum lingua ueterentur, Latinas tantum
declamationes instituerent, Graecae artis memoria omnino oblita
(Marx l. s. p. 146). Tamen altera quoque nescio an deprehendi
liceat rhetorum Latinorum proprietas, posita illa quidem in ipsa
ratione docendi; siquidem ex effectu colligitur natura uoluntasque
efficientis. Nam Quintiliani et Suetonii temporibus rhetores
Latini ita diuersi erant a Graecis, ut hi traditum disciplinae
ambitum integrum custodiuisserent, illi uero non mediocrem partem
artis sua et exercitationum genera non pauca reliquissent (Quint.
I 9, 6; II 1, 1—13). Quas partes cum grammatici occupassent,
factum est ut grammaticae et rhetoricae Latinae partes primo
post Christum saeculo ita peruersae essent, ut quae essent partes
grammaticae, quae rhetoricae certaretur.

Atque de uariis generibus exercitationum quae in ludis rhe-

torum sibi successerint, egregie nos edocet Seneca orator (controu. lib. I praef. p. 7, 2 Müller): 'declamabat autem Cicero non quales nunc controuersias dicimus, ne tales quidem quales ante Ciceronem dicebantur, quas thesis vocabant. hoc enim genus materiae quo nos exercemur, adeo nouum est, ut nomen quoque eius nouum sit. controuersias nos dicimus, Cicero causas vocabat. hoc uero alterum nomen, Graecum quidem sed in Latinum ita translatum ut pro Latino sit, scholastica controuersia multo recentius est, sicut ipsa declamatio apud nullum antiquum auctorem ante Ciceronem et Calum inueniri potest, qui declamationem a dictione distinguit; ait enim declamare iam se non mediocriter, dicere bene; alterum putat domesticae exercitationis esse, alterum uerae actionis. modo nomen hoc prodiit, nam et studium ipsum nuper celebrari coepit; ideo facile est mihi ab incunabulis nosse rem post me natam.' Alterum testimonium est Taciti (dialog. 35): 'at nunc adulescentuli nostri deducuntur in scholas istorum qui rhetores vocantur, quos paulo ante Ciceronis tempora exstitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetores tractantur, suasoriae et controuersiae.' Tertius testis est Suetonius (de rhet. 1): 'Sed ratio docendi nec una omnibus nec singulis eadem semper fuit, quando uario modo quisque discipulos exercuerunt. Nam et dicta praecclare per omnes figuras, per casus et apologetos aliter atque aliter exponere, et narrationes cum breuiter ac presse tum latius et uberius explicare consuerant; interdum Graecorum scripta conuertere, ac uiros illustres laudare uel uituperare; quedam etiam ad usum communis uitiae instituta tum utilia et necessaria, tum perniciosa et superuacanea ostendere, saepe fabulis fidem firmare aut demere, quod genus thesis et anasceuas et catasceuas Graeci vocant; donec sensim haec exoleuerunt et ad controuersiam uentum est.' Tria igitur, ut Senecae testimonium repetamus, rhetoricae Latinae tempora discernebantur, quorum primum genus esset eo tempore cum ἡέσεις exercebantur. Quae quales fuerint docet Cicero (orat. 14, 46), quaestiones uidelicet unde omnis in utramque partem traheretur oratio; cf. Tuscul. II 9 et Quint. II 4, 24 et Suetonii uerba supra descripta. Suetonii igitur testimonio constat rhetores Latinos¹⁾, cum primum

1) nam de Latinis tantum egit rhetoribus Suetonius, sicut de grammaticis tantum egerat Latinis. Etenim primum rhetorem esse iudicavit L. Plotius Gallum quem Cicero se pueru 'primum Latine docere' coepisse refert (Suet.

Romae esse coeperunt, omnino disciplinam Graecam in suum usum conuertisse, eius generis exercitationes discipulis proponentes 'quod genus thesis et anasceus et catasceus Graeci uocarent'. Haec autem exoleuisse et ad controuersiam uentum esse Suetonius perhibet.

Sed quale fuit alterum illud genus 'declamationis', quod medium inseruit Seneca inter thesium et controuersiarum tempora? Quid? quod ipsum nomen declamationis apud nullum antiquum auctorem ante Ciceronem et Calum inueniri posse affirmat? Atque declamare ait esse domesticae exercitationis, uerarum actionum praeparationis¹⁾; id quod comprobat Quintilianus IV 2, 29: 'cum sit declamatio forensium actionum meditatio'. Causas uero quae apud populum Romanum agerentur, praeparare uel meditari non nisi Latini rhetores poterant, Graeci nequiuierunt. A Latinis igitur rhetoribus hoc exercitationum genus quod proprie 'declamationes' uocabant et quo ipsas causas quae in foro agerentur, meditari iubebant discipulos, institutum esse apertum est. Ita 'sub ipsum ciuile bellum' forenses causas meditabatur Pompeius apud L. Voltacilium Pilutum rhetorem Latinum (Suet. de rhet. 1; 3), ita M. Antonius et Augustus 'ne Mutinensi quidem bello' omiserunt declamandi consuetudinem apud M. Epidium (Suet. de rhet. 1; 4). Neque te fugiat, quam diuersa sit istiusmodi ipsarum causarum forensium meditatio a disciplina Graecorum, qua thesibus propositis et argumentandi ratione a dialecticis adsumpta in uniuersum ingenia alere facultatemque dicendi formare studuerint professores Graeci, neque iniuria Senecam has scholasticas declamationes considerasse tamquam nouatum a rhetoribus Latinis genus.

Denique ad controuersias et suasorias uentum est, non quo eas antea non exercuisserint professores, nimirum in rhetorica ad Herennium iam inueniuntur (cf. Marx, Proleg. p. 104), sed mutatis Augusto principe rei publicae condicionibus iterum rhetores Latinii se accommodauerunt temporibus et deliberatiis tantum-

rhet. 2; cf. Marx, proleg. ad Her. p. 147), atque nouissimum posuit Quintilianum qui ita rhetor fuit Latinus, ut aperte suae artis condicionibus opposuerit Graecorum rhetorum instituta (I 9, 6; II 1, 13).

1) Hanc declamandi significationem uerae actioni oppositam aperte Suetonii quoque demonstrant verba (de rhet. 6): 'declamare autem genere uario: modo splendide modo adornate tum ne usque quaque scholasticus existimaretur, circumcise et sordide et tantum non triuialibus uerbis. Egit et causas, uerum rarius.'

modo iudicialesque materias colere coeperunt exclusis reliquis (Quint. II 1, 2; cf. E. Norden, *Kunstprosa* I 248 sqq.). Atque natura ferebat, ut remota a periculo fori declamatio illa scholastica, quae antea actionis tantum forensis causa instituta erat, iam in se posita esse coepisset (de M. Porcio Latrone, Latino ‘declamatore’ uide Suet. de rhet. 8; cf. Asinii Pollionis iudicium apud Sen. controu. II 3, 13) atque in eam abiceretur eloquentia condicionem quam reprehendit Montanus Votienus (Senec. controu. 9 praef. 1) cum diceret: ‘qui declamationem parat, scribit non ut uincat, sed ut placeat’; cf. Quint. V 12, 17.

Gradus igitur et aetates rhetoricae Latinae persecuti eam maxime intelleximus conspicuam fuisse in rhetoribus Latinis uoluntatem, ut Graecam disciplinam, aequa ac grammatici fecerant Latini, ad praesentem semper usum necessitatemque deflecterent et temporibus statim se aptarent utilitatibusque. Itaque narrationes uituperationes ethologias θέσεις denique Graecorum mox remouerunt quasi nullius in foro usus. Nam ita eos argumentatos esse appareat ex refutatione Taciti (dialog. 31) et Quintiliani II 1, 9—12: ‘An ignoramus antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut thesis dicerent et communes locos, citra complexum rerum personarumque, quibus uerae fictaeque controuersiae continentur? ex quo palam est, quam turpiter deserat eam partem rhetorices institutio, quam et primam habuit et diu solam. quid autem est ex his de quibus supra dixi, quod non cum in alia quae sunt propria rhetorum, tum certe in illud iudiciale causae genus incidat? an non in foro narrandum est? qua in parte nescio an sit uel plurimum. non laus ac uituperatio certaminibus illis frequenter inseritur? non communes loci sqq.’ Praesenti igitur successui inseruientes atque promptae dicendi facilitati studentes humanitatem discipulorum excolere neglegebant neque omnino id sibi negotii impertiebant, ut iudicium discentium, quod tamen maximum est in oratore (Tac. dialog. 34: ‘plurimum iudicij iuuenibus statim contingebat’) formarent confirmarentque, sed satis habebant dicentes ad securitatem uehementiamque pronuntiationis gestusque instituere (cf. Tac. dial. 31 ‘non ut in rhetorum scholis declamarent nec ut . . . linguam modo et uocem exercerent’ et Ciceronianum illud [orat. XV, 47]: ‘declamator aliquis de ludo aut rabula’). Quid? quod praeexercitaminibus illis post habitis ad ipsas statim causas forenses deducebant pueros uel paene adulescentulos? Iam uides quo pertinuerit illud opprobrium

impudentiae, quo Cicero et qui cum eo sentirent, Latinos rhetores notare solebant (Cic. de orat. III 24, 93; 94; cf. Quint. II 2, 12 ‘uana de se persuasio’; Tac. dialog. 35 ‘nihil reverentiae’). Aliter igitur ac rhetores Graeci qui prudentius iudicantes de ‘operum suorum et oneribus et modo’ ueteris et spectatae disciplinae partes conseruabant¹⁾ etiam post noua Demetrii Phalerei instituta (Quint. II 4, 41; cf. E. Norden, Kunstprosa I 127; 248), Latini rhetores excepto deliberatio judicialique genere ceteras fere omnes partes omiserunt et grammaticis exercendas reliquerunt. Atque ita nata est illa disceptatio, utrum recte grammatici Latini has partes occupauissent necne. Quo in certamine Quintilianum Graecae disciplinae rationem omnino probauisse saepius monuimus²⁾. Suetonius uero omnino oppositus fuit sententiae Quintilianeae. Nam postquam ab initio grammaticam et rhetoricam coniunctas fuisse docuit, laudat rationem eorum grammaticorum qui etiam post secretas professiones quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam retinerent. Quae uero Suetonius grammatico uindicat genera, ut ‘problemata, paraphrasis, allocutiones, ethologias atque alia hoc genus’, eadem sunt atque eae partes quas non recte a grammaticis occupatas esse Quintilianus contendit, thesis dico sententias, paraphrases, chrias, ethologias (I 9, 2–6; II 1, 8 sqq.). Unde apparet, Suetonium primas illas exercitationes rhetoricas quibus pueri instituerentur, partes iudicauisse grammaticae Latinae necessarias.

Atque iam intellegimus quid significare voluerit ille, cum de Valerio Probo dixerit ‘soli huic nec ulli praeterea parti grammatices deditus’. Nempe dixit Berytum ei parti quae uersaretur in interpretandis scriptoribus, suffecisse quidem, cum libros eorum adnotaret adulescentibus praelegeret, alteri autem parti ‘quae praecepta demonstraret’ et quae recte scribendi loquendique scientia contineretur (Diom. GL I 426, 15 K), eum defuisse neque magis eum deditum fuisse instituendis pueris ad eloquentiam praeparandam, quae tamen pars magistro Latino minime neglegenda esset. Atque recte nos ita sententiam Suetonii aperuisse, ceteris praeterea argumentis comprobatur. Nam quod dixit Suetonius,

Quid Suetonius
senserit
de partibus
grammaticae

1) ita tamen ut eas προγνωσμάτων loco haberent; nam haec esse eadem atque illae ‘primaes exercitationes’ (Quint. II 4, 36) uel ‘curae quaedam dicendi primordia’ (I 9, 1) Quintiliani, quas non recte ille a rhetoribus Latinis omissas esse pronuntiauerit, docuit Casimirus a Morawski, Quaestiones Quintilianeae, diss. Berol. 1874 p. 6.

2) cf. praeterea Iustinus Woehrer l. s. p. 102 sqq.; p. 132 sqq.

haec institutionum rhetoriarum genera a sui aeui grammaticis omitti ('quae quidem omitti iam video'), non facile haec dicere potuit nisi de Valerio Probo quem nouissimum posuit professorem Latinum. Denique quod sibi persuasum esse pronuntiauit, haec a magistris neglegi 'non fastidio', sed 'desidia et infantia', ea uerba mirum in modum illustrantur, si de Valerio Probo dicta sunt; nam tum demum intellegitur quid sibi uelit illa uerborum quasi sibi insidens cumulatio quibus segnities expressa sit atque inertia uiri: 'unum et alterum, uel cum plurimos tres aut quattuor — postmeridianis horis — cubans — inter longos ac uulgares sermones — legere quaedam — idque perraro — de quibusdam minutis quaestiunculis'. Neque non infantiae nota in Berytium cadere uidetur, si quidem recte de Probi genere dicendi disputauimus p. 49 sqq. Suetonium igitur non a partibus Probi stetisse aut rationem eius probauisse appetet; neque eximium quendam ardorem indicant illa 'legerat in prouincia quosdam ueteres libellos apud grammatistam', neque omnino Suetonius ea Berytii ueterum scriptorum editoris admiratione incensus fuisse uidetur, quam Fridericus Leo in illo agnouerat (Plautinische Forschungen p. 21 sqq.).

De commen-
taris Probi-
aniis a disci-
pulis editis

Doctrinam Probi, quam diuulgari ipse adeo neglexerat, ut uiuus pauca tantum et exigua de minutis quaestiunculis ederet, utque discipulos non modo non alliceret, uerum etiam satis inclementer non nunquam a se dimitteret (Gell. XIII 21, 8 'hominem dimisit, ut mos eius fuit erga indociles, prope inclementer'), diuulgaverunt discipuli, similiter atque fecerant discipuli Antonii Gniphonis (Suet. de gram. 7). Et edidisse credendum est nomen inscribentes magistri, sicuti fecerunt discipuli Quintiliani (inst. or. prooem. 7), sicuti Aristarchi circumferebantur commentarii ad eius scholas a discipulis consignati¹⁾, de quibus disputavit K. Lehrs, de Arist. stud. Hom.³ p. 22; cf. Marx, proleg. ad Auct. ad Her. p. 80; Birt, Buchwesen p. 344 sqq. Et re uera ita factum esse comprobari licet eo argumento, quod posterioris aetatis grammaticis inde a Gellio praesto fuerunt Probiana scripta atque ea plura et ampliora, quam quae ab ipso edita esse Suetonii testimonio constat. Nam

1) nam alterum genus de quo K. Lehrs disseruit, τῶν σχολικῶν ἐπομη-
μάτων, illos dico commentarios ab ipso Aristacho ad usum discipulorum con-
scriptos, quominus Berytium quoque tales confecisse putemus, obstat exiguum
quod in eo fuisse uno consensu et Gellius et Suetonius tradiderunt disci-
pulorum studium patientiamque (Gell. I. s., Suet. de gram. 24 'cubans legit
quaedam idque perraro'). De commentariis Vergilianis infra disputabitur.

Gellius ea quae secundum Valerium Probum profert, aut ex familiari quodam illius se comperisse affirmat aut ipsi familiari haec tribuit uel alii cuiquam interloquenti. Atqui dudum cognitum est Gellium his et similibus locis finxisse tantummodo disputationis speciem, re uera autem scripta eorum adhibuisse quos disserentes induceret (Ludouicus Mercklin, die Citiermethode und Quellenbenutzung des A. Gellius in den Noctes Atticae, Fleck. Jahrb. Suppl. III 1857—1860 p. 633—710). Inde, cum traditum sit Probum mortuum siluam obseruationum sermonis antiqui reliquisse, Gelliana nero capita quae huc pertineant (in primis VI 7, XIII 21, VI 9 ubi ipsius Probi additum est nomen) omnino speciem exhibeant talium obseruationum sermonis antiqui, appetat edidisse reuera discipulos ea quae magistri scriniis reposita inuenissent, et praesto fuisse Gellio has commentationes Probianas, quarum multos admodum libros se inspexisse affirmat XV 30, 5. Quae nisi exstitissent, aegre hoc dicere potuit scriptor Latinus uix duodecim lustris post mortem Berytii. Deinde quarto post Christum saeculo medio Burdigalae scripta Probi Berytii praeclara habebantur, quae in illa sede litterarum ‘corde callebat intimo’ professor quidam; atque tam ampla quidem fuisse dicuntur haec scripta, ut is qui ea memoria tenebat, iudicetur ‘Epirote Cinea memor magis’ (Auson. opusc. 16, 16_{1,2} p. 66 Schenkl). Concedamus multa pietati erga professores et nativae iactantiae poetae, tamen haec non dici potuerunt de exiguis et minutis quaestiunculis, quas Probum edidisse Suetonius tradit. Nam ridiculum non uitauisset poeta, id quod minime conueniebat laudationi. Neque arbitrandum est Ausonium Probos confudisse, id quod omnes fere postremae aetatis grammatici fecisse uidentur; nam Probus ille iunior qui dicitur, cuius tempora aetate Diocletiani (GL IV 119, 26 K) et Seruui grammatici (GL IV 413, 34 K) definiuntur, aequalis fere fuit temporibus Ausonii. Qui praeterea Suetonianam uitam nouisse uidetur, ex qua adsumpserit illud ‘Berytium’ (opusc. 3, 18 p. 2 Sch.), quae originis designatio in omni Valerii Probi memoria non occurrit nisi apud Hieronymum, qui eodem fere tempore hoc patriae nomen apud Suetonium legerat. Deinde Consentius (GL V 366, 16; 26 K) de generibus uerborum sententiam protulit ‘Probi uiri doctissimi’, quam sicuti in catholicis ita in institutis frustra quaeres; neque Frid. Goetting (de Flauio Capro Consentii fonte, diss. Regimont. 1899 p. 20 sqq.) hunc Probum Berytium esse affirmare dubitauit. Prisciani denique testimonio (GL II 171, 14 K) constat exstissette

librum Probianum ‘de dubiis generibus’, et eiusdem libri auctoritate natus est Pompeius (GL V 165, 16 K). Qui liber quanti ponderis fuerit, etiamnunc dispicitur in Prisciani grandi opere¹⁾.

Itaque praeter minuta illa scripta a Probo ipso edita circumferebantur commentarii ampliores, quibus Probi doctrina exhibebatur, siue erant ipsius Probi nomine inscripti (ueluti supra dictae commentationes quas Gellius attulit XV 30, 5, uel liber de dubiis generibus), siue erant sectatorum commentarii manifeste doctrinam memoriamque Probi continuantes, ueluti scripta Fauorini, cui mos erat *τοὺς ἀπομνημονεύειν* (Gell. XIII 25, 12), uel Caesellii Vindicis ‘lectiones antiquae’, quo de Probi sectatore disputabit qui de Gelliani capit is IX 14 auctore acturus est.

Hoc statuendum erat, ut sententia remoueat J. W. Beckii (De M. Valerio Probo Berytio quaestiones nouae, Groningae 1886, cf. praeterea praefat. ad C. Plinii libr. dub. sermonis rel. 1894 p. XVI), qui affirmauit Probum librum qui de grammatica esset scripsisse nullum atque ab iis qui historiam grammaticae Latinae describerent nomen Valerii Probi praeteriri posse. Quod ut efficaret, Gellii testimoniis fidem non habendam esse contendit, quippe qui nomen Probi non alio consilio protulisset, quam ut uerum fontem obtegeret; neque Seruium testem scriptorum grammaticorum Probi afferriri posse, quippe qui Probum cum Sacerdote et Diomede confudisset, neque aliter Priscianum Probum nominauisse, Charisium uero et Diomedem intellexisse²⁾. Itaque nec uestigium nec omnino inscriptionem libri grammatici traditam esse; nam Charisii locum (GL I 212, 7 K), ubi Probi liber de inaequalitate consuetudinis afferitur, coniectura facta remouere sibi uisus est.

De Martialis epigrammate III 2 M. Valerii Probi memoria quae est apud Suetonium excussa atque declarata ceteri auctores repetendi sunt. Atque ex Mar-

1) quamquam quae ex ipso Valerii Probi libro adsumpserit Priscianus, quae per Caprum receperit, nondum patet; cf. Ludouicus Iep, ‘Priscian’, Philolog. 67 (1908) p. 12, qui de Valerii Probi apud Priscianum memoria disputauit p. 31 sqq.; vide praeterea Otto Wischnewski, De Prisciani institutionum grammaticarum compositione, diss. Regiomont. 1909 p. 33 sqq.

2) Post ipsam Iuli Steup opinionem profligatam hoc argumentum quod inuenierat ille ad desperatam sententiam commendandam, non iam repetere debuit Bataeus. Nam Seruus Diomedem et Probum ita non confundere potuit, ut Diomedis artem post Seruji commentum scriptam esse appareat ex adnot. ad Aen. X 33: ‘NEQVE ILLOS IVVERIS AVXILIO concessius est iste modus secundum Probum; namque in artibus non inuenitur etqs.’ Inuenitur autem hic modus concessius in arte Diomedis GL I 396, 30 sqq. K.

tialis epigrammate III 2 intellegitur Probum anno 88 p. Chr. n. quo editus est tertius liber Martialis, Romae notum fuisse tamquam magnae auctoritatis existimatorem litterarum. Hoc autem maxime constat testimonio uersiculi Martialis Valerium Probum non ad antiquissimos tantummodo scriptores curam contulisse, ueluti illi fecisse uidentur quos Seneca cauillatus est (epist. 114, 13, cf. p. 7); sed sicuti praeter priscos liberae rei publicae scriptores Augustae quoque aetatis poetas eum magni fecisse docent recensiones Vergilii et Horatii ab eo curatae, ita ne suorum quidem temporum poetas neglexisse Martialis testis est. Quamquam aliud est, poetae cuiusdam rationem habere, aliud eum probare.

Certum de aetate Probi indicium hoc Martialis uersiculo non subicitur (Martinus Schanz, litt. Rom. hist. II² 2 p. 338). Tamen Probum anno 88 p. Ch. n. etiamtum uixisse consentaneum est, si familiares eius Gellium uiderunt (Kuebler l. s. p. 10). Sed accuratius usque ad quem terminum Berytius uitam produxerit, definiri potest collatis eis quae apud Plinium leguntur in epist. V 20, 5: 'Respondit mihi Fonteius Magnus, unus ex Bithynis, plurimis uerbis, paucissimis rebus. Est plerisque Graecorum ut illi pro copia uolubilitas; tam longas tamque frigidas periodos uno spiritu quasi torrente contorquent. Itaque Iulius Candidus non inuenuste solet dicere aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam. Nam eloquentia uix uni aut alteri, immo, si M. Antonio credimus, nemini, haec uero quam Candidus loquentiam appellat, multis atque etiam impudentissimo cuique maxime contigit'.

Hanc autem appellationem 'loquentiam' uerae eloquentiae oppositam proprii cuiusdam usus fuisse Iulii Candidi, aperte exprimitur uerbis 'haec uero quam Candidus loquentiam appellat'; praeterea Candidum hanc uocem nouauisse eo probatur, quod Plinius suum de hac fictione iudicium protulit, cum 'non inuenuste Candidum ita dicere solitum esse' censeret; id quod sensu careret, si communis iam tum fuisset uocis usus¹⁾. Editum esse quintum librum epistularum circa annum 109 p. Chr. n. Iulius Asbach contendit (Rh. M. 36 [1881] p. 49). Sed singulas librorum epistulas aliquantum prius scriptas esse quam editi sunt

1) J. W. Beck (l. s. p. 10) argumento non allato ipsa Plinii uerba neglegens negat Candidum hanc uocem nouam finxisse, hac in re Iulio Steup oppositus qui ipse quoque (p. 130) hanc uocem Candidi propriam fuisse indicauerat.

libri, exemplo docuit H. Dessau (*Hermes* 34 [1899] p. 87) qui ex titulo CIL III suppl. 1973 (Dessau *inscript. sel.* 2003) demonstrauit, epistulam quae nunc legitur libro IX 37 (edito circa annum 109), scriptam esse anno 107. Praeterea librum quintum epistularum circa annum 106 editum esse censuerat Theodorus Mommsen (*Hermes* III [1869] p. 47). Denique Herm. Peter, (*Der Brief in d. röm. Litt.* 1901 p. 108) docuit prima mepistularum triadem, libros uidelicet I—III, absolutam fuisse anno 104, uerum alteri triadi, libris IV—VI, non nullas eiusdem fere temporis insertas esse epistulas. Itaque id certe confirmatur illa quam supra diximus epistula Plinii, facetam illam fictionem Iulii Candidi circa annum 105 Romae placuisse et innotuisse. Atqui cum legamus apud Gellium I 15, 18 Valerium Probum Sallustianum illud ‘satis eloquentiae’, sapientiae parum’ breui antequam uita decederet, sic legere coepisse et sic a Sallustio relictum affirmauisse: ‘satis loquentiae, sapientiae parum’, non possumus non affirmare Probum deductum esse in hanc coniectaram uoce illa a Iulio Candido nouata¹⁾. Atqui cum adiunxerit Gellius hoc euenisse brevi ante mortem Probi, inde colligitur Berytum uitam usque ad primos alterius p. Chr. saeculi annos continuasse. Eodem deducimur testimonio Suetonii: neque enim multo ante mortuus esse uidetur Probus quam editus est liber Suetonii (circ. a. 105 p. Chr.) qui nouissimum eum posuerit grammaticorum et de scriptis uerba fecerit quae uiuus ipse ediderit et quae mortuus reliquerit edenda. Neglegemus igitur testimonium Hieronymi qui, cum Valerium Probum a. 56 p. Chr. n. eruditissimum grammaticorum Romae agnoscí perhiberet, auctoritate Suetonii niti nequiuuit. Sanctum uero patriarcham, cui in Eusebii tabulis supplendis certis temporum indiciis opus esset, ea quae non commemorata inuenisset fortiter finxisse Eduardus Norden exemplis probauit (*Rh. M.* 61 [1906] 168).

Insequentibus temporibus memoria Probi magis magisque inclinaruit. Gellius eum appellauit ‘grammaticum illustrem’ (I 15, 18), ‘grammaticum inter suam aetatem praestanti scientia’ (IV 7, 1). Hieronymus ex sui temporis aestimatione adiunxit illud ‘eruditissimus grammaticorum’. Atque facile dixerit quispiam Hieronymum iudicium iterasse quod de Berytio proferre solitus esset

1) Potuerit adeo conicere quispiam, ipsis his uerbis Plinianis ‘haec uero (loquentia) multis atque etiam impudentissimo cuique maxime contigit’ motum esse Valerium Probum, ut hanc ‘loquentiam’ de Catilina dictam esse pronuntiaret.

praceptor Donatus, qui Probi auctoritatem repetuerat in commentando Terentio. Sub finem quarti saeculi Ausonius Burdigalensis praecaram dixit esse gloriam Probi Berytii, quam adipisci sibi non contingere. Primis quinti saeculi annis Macrobius, cum de fabula quadam dissereret quam quo auctore Vergilius retulisset Probus nescierat, mirari se profitetur id tantum uirum fugisse. Quinto deinde saeculo Sidonius Aruernorum episcopus propinquum quendam qui Probus uocabatur celebratus, aperte euocauit nominibus ludens memoriam M. Valerii Probi Berytii, nullum gloriae genus maiori fore decori arbitratus patruo quam illam cum Berytio comparationem (carm. IX 332—335 p. 305 Mohr):

sed memento

doctrinae columnen Probum aduocare,
isti qui ualet exarationi
destrictum bonus applicare theta.

Atque qui accuratius carmina illa considerauerit, intelleget manifesto Martialis epigramma imitatum esse episcopum, ueluti

v. 318 Nos ualde sterilis modos Camenae
rarae credimus hos breuique chartae,
quae scombros merito piperque portet sqq.

v. 344 non te terreat hic nimis peritus,

(cf. praeterea indicem locorum similium Mon. Germ. Hist. auct. antiquiss. VIII p. 402) ita ut nobis persuadeamus opinionem illam Probi uelut acerrimi critici et doctissimi grammatici non mediocriter auctam esse et per aetas translatam illo Martialis uersiculo. Caelo Musa beat. Atque septimo saeculo Eugenius, cum opus Dracontii iterum editurus celebres ueterum editores nominaret, sicuti Homeri praeclarissimum editorem Aristarchum, ita Vergilii editorem appellat Probum una cum Tucca Varioque qui primi Aeneidem ediderant.

Vergilii Horatii Lucretii carmina Probum recensuisse constat Quos scri-
testimonio codicis Parisini GL VII 534, 4 K. Terentii recensionis ptiores recen-
testis est commentarius qui fertur Donati, editus a Paulo Wessner suerit Probus
1902—1908, ex quo quae ad recensionem Probi pertinere uidebantur, Quae recen-
collata sunt in reliquarum conlectione¹⁾, non ita tamen ut quaes-
tionem me absoluuisse iudicem. Nam conferas praeterea quae sionum ex-
obseruauerunt Paulus Rabbow (De Donati commento in Terentium tent uestigia
specimen obseruationum primum, diss. Bonn. 1897 p. 313, cf. p. 342), Paulus Wessner (Aemilius Asper. Ein Beitrag z. röm.

1) quae huic dissertationi subiecta est.

Literaturgeschichte, Halle 1905 p. 22. 25 adn. 33. 36. 38. 39), Maximilianus Dorn (De ueteribus grammaticis artis Terentianae iudicibus, diss. Hal. 1906 p. 8 sqq. 43. 46. 61. 66), H. T. Karsten (De commenti Donatiani origine et compositione, Lugduni Bat. 1907 p. 165 sqq.). Sed nescio an aliud praeterea indicium subministretur quo uestigia Probi demonstrentur. Nam in commento Donatiano non rarae inueniuntur Terentii cum Menandro et Apollodoro comparationes, quas Paulus Wessner (l. s. p. 25) in unum contulit conspectum. Qua in comparatione duae aperte dinoscuntur diuersae uoluntates, quas ad eundem criticum difficile retulerit quispiam. Quarum altera eo maxime tendit ut poetam Latinum recte fecisse iudicet, si qua in parte Romanum induerit colorem habitumque, laudetque eum quod recesserit ab exemplo Graeco et eum scientem id fecisse pronuntiet, cum altera poetam Latinum uituperet et errauisse arguat relictis uestigiis Menandri aut Apollodori. Atqui recte demonstrauit Paulus Wessner, praeter Probum Asprumque qui in fontibus numerandus esset Donati existimandum esse fere neminem. Probus uero qua ex parte steterit hoc in discrimine docent duae adnotaciones, ad Eun. I 1, 1₇ 'NON EAM NE NVNC QVIDEM, "non eam" Probus distinguit; iungunt qui secundum Menandri exemplum legunt' et illa ad Phorm. I 1, 13₃ 'VBI INITIABVNT legitur apud Varronem initiari pueros Eduliae et Poticae et Cubae, dis edendi et potandi et cubandi, ubi primum a lacte et a cunis transierunt; quod Vergilius (buc. IV 63): "nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est." hoc annotauit Probus'. Verum alter ille qui diuersum sustinuerit iudicium existimator, Asprum dico, ex sua sententia hanc subiecit explicationem: 'sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur, initii Samothracum a certo tempore pueros imbuī more Atheniensium'; eundemque criticum audias ad Andr. III 4 13₁: 'QVIDNAM AVDIO legitur et "audiam" (cf. Wessner p. 28), Menander enim sic ait *'τι ποτ' ἀκούσομαι'*.

Atque recte nos hanc existimandi partem, qua laudaretur Terentius a Graecae fabulae ratione discedens, Probo attribuisse, exemplo confirmatur adnotacionis ad uersum Andr. III 2, 3₁ 'NVNC PRIMVM FAC ISTA VT LAVET imperitiae notantes Menandrum aut Terentium ipsi ultro imperiti inueniuntur: nam et ille *'λούσατ'* *aὐτήν* dicens a consuetudine non recessit, † cum lauisse se aut non lauisse a parte totum significantes, et Terentius proprius ad significationem accessit 'ista' dicendo ne pudenda nominaret. . . .₃ FAC ISTA VT LAVET 'ista' quae ex puerperio

sordebant; quidam 'ista' ipsam puerperam dicunt — sic enim Menander 'λούσατ' αὐτήν αὐτίνα —, sed imperitiae accusantur, quod non continuo solent post puerperium lauare, sed diebus omissis'. Is igitur criticus (nam numerum pluralem 'dicunt' de more posuit ille qui commentum conscripsit), qui Terentii uerba interpretanda esse censeret ex uerbis Menandri, 'ista' ipsam puerperam esse intellegebat, quia apud Menandrum λούσατ' αὐτήν legeretur; idemque criticus, Asper scilicet, et Terentium et Menandrum imperitiae accusabat, quod non continuo (*αὐτίνα*) solerent post puerperium lauare, sed diebus omissis. Contra quem exstitit alter criticus uehemens ille quidem atque inclemens, qui reprehensionis aculeum in ipsos reiceret, ipsos ultro imperitos inueniri coarguens qui Menandrum aut Terentium imperitiae notauiissent. Neutrum enim poetam reprehendendum esse uideri; nam quod Menander diceret λούσατ' αὐτήν, eum usum esse orationis quadam figura¹⁾, id est dixisse quidem poetam 'αὐτήν', sed intellegendum esse immundum parturientis sanguinem. Atque Terentium non uerbum ex uerbo Menandri expressisse ita ut ista = αὐτή̄ esset, sed poetam Latinum propius ad significationem accessisse, cum 'ista' posuisset tamquam 'ista quae ex puerperio sordebant'. Atque hunc criticum Valerium Probum esse, praeterquam quod eius ratio omnino accommodata est ei rationi quam Probi esse nouimus ex adnotatione ad Eun. I 1, 1, qua uerba poetae Latini ex uerbis Menandri intellegenda esse nolebat, hac consideratione commendatur quod uehemens ille in aduersarios et indociles pronuntiandi mos a Berytio alienus esse non uidetur²⁾ (Gell. XIII 21, 9). Sed accedunt alia. Etenim testimonio Seru. ad Aen. VIII 406 constat Probum eam secutum esse in interpretandis uerbis poetarum uiam, ut iudicaret poetas talia uerba posuisse quibus cacemphaton uitaretur. Atque plane consimilem rationem agnoueris in illo „ista“ dicendo ne pudenda nominaret'. Denique illa quam Probo uindicauimus interpretationem, omnino accommodata est sententiae Berytii de dubia specie uerbi 'lauare'.

1) hic enim sensus subesse uidetur uerbis illis corruptis 'cum lauisse se aut non (ubi 'λοῦσαι αὐτήρ' iam R. Sabbadini coniecerat) lauisse a parte totum significantes'.

2) Si recte hanc disputandi consuetudinem qua aculeus in ipsum aduersarium reiceretur, Probo propriam fuisse ostendimus, nescio an hinc proficiisci debeat qui locum Charisii GL I 212, 7 K 'Parcissime. Probus de inaequalitate consuetudinis quaerit an quis hoc extulerit, quod et ipsum credo non parcissime factum' expedire uoluerit.

Nam apparet diuersa ratione intellegendum fuisse illud ‘ista’, prout aut transituum accipiebatur uerbum ‘lauare’ aut intransituum. Etenim qui ‘ista’ secundum Menandri exemplum feminini generis esse et nominatum accipiebant, ‘lauet’ intransituum intellegenter necesse erat tamquam ‘lauetur’. Quam in sententiam abire non potuit Berytius, sed eam defendere debebat interpretationem, qua ‘ista’ contenderet esse accusatum et uerbum ‘lauare’ transituum. Nam hanc Berytii fuisse sententiam compertum est collata adnotatione Seruui ad Aen. I 194 ‘PARTITVR Sallustius ait (Iug. 43, 1), ‘prouincias inter se partuerant’: nam et partio et partior dicimus: et est uerbum de his quae, cum utramque recipient declinationem pro nostra uoluntate, actiuae tamen sunt significationis, ut punio punior, fabrico fabricor, lauo lauor; quamquam temptauerit Probus facere differentiam inter actiuam passiuamque significationem, ut dicamus tondeo alterum, tondeor ab altero’, et Seruui [Sergii] comm. in Don. GL IV 437, 25 K: ‘uerba quorum declinatio in nostra potestate est sunt haec, tondeo lauo fabrico punio et reliqua. uerum tamen debemus secundum naturam actuum uel actuum uel passuum praesumere in declinatione ut ‘ego lauor’ ‘balneum lauat’; quando ego capillos depono, ut dicam ‘tondeor’, quando alteri capillos detraho, ut ‘tondeo’.

Quae si recte disputata sunt, ex Donati adnotationibus ad Andr. III 2, 3 haec ad Valerium Probum referenda sunt: ‘NVNC PRIMVM FAC ISTA VT LAVET 1 imperitiae notantes Menandrum aut Terentium ipsi ultro imperiti inueniuntur: nam et ille λούσατ’ αὐτήν dicens a consuetudine non recessit † cum lauisse se aut non lauisse a parte totum significantes, et Terentius proprius ad significationem accessit ‘ista’ dicendo, ne pudenda nominaret. 3 FAC ISTA VT LAVET “ista” quae ex puerperio sordebant’. Neque non Euphradius¹⁾ (p. 46 Wessner) sententiam Probi retulit: ‘melior sensus est: nunc primum fac istaec ut lauet, ut illa scilicet quae immunda sunt sanguine parturientis impleta lauentur’.

Quod de Terentiana arte iudicium cum suo auctori restituimus, ex commento Donati cetera quoque iudicia quae manifesto ex eadem ratione profecta sunt, Valerio Probo uindicanda erunt; ueluti adnotationes ad Phorm. I 2, 41₄, Adelph. I 1, 18₃, Phorm.

1) qui ipse quoque ad Phorm. I, 15 Probi adnotationem seruauit quam ceteri Terentii commentatores repudiauerant.

II 2, 10; II 3, 46 eidem interpreti tribuendae sunt qui ad Phorm. I 1, 15₃ Romanos mores palliatae inmiscuerit; necnon Valerio Probo qui ad Eunuchi primum uersum Menandri uerbis neglectis Terentium propriam quandam rationem secutum esse iudicauerit, talia attribuenda sunt ueluti ad Hec. III 4, 26: ‘imperite¹⁾ Terentium . . . dixisse aiunt . . . sed ego Terentium puto scientem facetius Myconium crispum dixisse’, uel ad Eun. IV 4, 22₂: (errauit Terentius non intellegens Menandricum illud . . .) at ego † Editionum sequor qui recte intellexit Terentium scientem ‘mustellino colore’ dixisse eunuchum uelut subliuido, quia uere eunuchi aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis et eiusmodi occidentalibus, aut ex fuscis subliuidi, ut ex Armeniis et aliis orientalibus’. Id quod optime accommodatum est sententiae Pauli Wessner, qui (Asp. p. 37) docuit eas adnotationes quae figura ‘at ego’ ‘sed ego’ inferrentur, ad ipsum Donatum referendas esse; nam hunc cum ita Terentium defenderet, non suis usum esse argumentis, sed alieni cuiusdam interpretis, apparebat ex illa quam descripti adnotatione ad Eun. IV 4, 22₂: ‘At ego † Editionum sequor qui’ etq., ubi ut Probi nomen corruptum restituamus, argumentationis ratione ac uia deducimur.

Robertus Kauer (Stud. Vindob. XX [1898] p. 256 sqq.; XXII [1900] p. 56 sqq.) obseruauit, a Iouiale quodam sexto p. Chr. saeculo codicis Bembini contextum distinctum esse, usumque esse correctorem exemplari simili iis quae nos communi nota δ designare solemus, iis uidelicet quae antiquissimam exhibent speciem Calliopeae quae dicitur recensionis (l. s. p. 265). Sunt autem cod. Victorianus-Laurentianus XXXVIII 24 s. IX/X (D) et cod. Decurtatus-Vaticanus 1640 s. XI/XII (G). Atque euenit ut plerumque congruant distinctiones Iouialis cum adnotationibus Donati atque imprimis in uersu Eunuchi fabulae primo, ubi distinctio uerborum ad Valerii Probi auctoritatem a Donato relata est. Unde recte suspicatus est Rob. Kauer (l. s. XXII p. 90) omnes quae apud Donatum ad distinctionem pertinerent adnotationes cum Iouialis distinctionibus congruentes Berytio tribuendas esse. Quod si est, concedendum est Probi distinctionem quodammodo coniunctam esse cum ea recensione fabularum, cuius speciem etiamnunc exhibent codices D et G. Id quod altero praeterea euincitur arguento. Nam Andr. IV 3, 5

De codicibus
Terentianis
qui ex recen-
sione Probi
pendere
uideantur

1) simili modo ad Andr. IV 3, 5 Probum disputauisse intelleximus contra eum qui Terentium ‘imperitiae’ arguerat.

Probum ‘dolorem’ legisse Donati adnotatio docet. Quam lectionem ex omnibus codicibus soli D et G seruauerunt.

Qualis tandem est illa recensio δ, quam cum Probi recensione coniunctam esse iam uix negaueris? Atque cognita est illa Bembini codicis recensio, quae fabulas secundum tempora quibus actae sunt a poeta ordinatas exhibet, quam recensionem paulo post poetae mortem a familiaribus curatam esse Edmundus Hauler adfirmauit in editione Phormionis³ (1898) p. 17 adn. 2. Praeterea exstat altera, haec ipsa de qua quaeritur recensio δ, hac in re diuersa ab illa Bembina, quod fabulas secundum litteras ordinatas exhibet, ita ut Hecyra ultima sit (Andr. Ad. Eun. Form. Heaut. Hec.). Quodsi recte hanc ad Probi recensionem retulimus, Berytius, sicuti Varro Plautinas fabulas secundum litteras ordinauerat, ita quoque in recensendis fabulis Terentianis fecisse uidetur. Tertiam recensionem (γ) qui curauit, secundum Graeca maxime exempla fabulas ordinuisse docuit Fridericus Leo (Rh. M. 38 [1883] 319); cf. Rob. Kauer l. s. XX 266. Id quod egregie accommodari uidetur cum illa quam in commento Donatiano ubique Probo oppositam uidemus existimandi rationem, quam ad Aemilium Asprum retulit Paulus Wessner.

Placet ultimam subiungere obseruationem de Terentianae recensionis memoria ad Valerium Probum pertinente. Adscripta enim sunt in codice Bembino scholia (edita a Francisco Umpfenbach in Herm. vol. II p. 337 sq.; cf. praeterea Guil. Studemund, Fleck. Jahrb. 1868, 546; 1882, 51 sqq.) non ita multo post Iouialis distinctionem adpieta, in quibus id memorabile cernitur, quod diligenter ratio habita est distinctionis et emendationis Iouialis (Kauer l. s. XX, 261 sqq.). Praeterea Iouialis curae pertinent usque ad Heaut. uersum 792, exclusa fabula Hecyrae: atque ipsa quoque scholia pertinent usque ad Heaut. u. 582 exclusa fabula Hecyrae. Unde recte suspicatus est Paulus Wessner (Asp. p. 41) haec scholia non ex commentario quodam, sed ex eodem exemplari Terentii fabularum adsumpta esse quo usus esset Iouialis. Itaque si exemplar Iouialis ex recensione Probi profectum esse demonstratum est, haec quoque scholia ad eundem referenda esse auctorem appetit. Hanc sententiam, in quam ratione ac uia deducti sumus, ueram esse, argumentis praeterea confirmare licet. Etenim Paulus Wessner (Asp. 41) iam obseruauit, scholiis illis a manu ueteri adscriptis proprium esse frequens illud quod positum est ‘dixit’. Atque quis fuerit ille qui tam impigre docebat, intellegas ex scholio ad Eun. I 1, 34: ‘calamitas dixit grando

ab eo quod calamos frangat' quocum conferas Donati ad hunc locum adnotationem: 'NOSTRI FVNDI CALAMITAS proprie. calamitatem rustici grandinem dicunt quod comminuat calatum id est culmum ac segetem,' et maxime ad Hec. prol. I 2, 3 'calamitas παρὰ τὴν καλάμην dicitur, clades quia clam datur, ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti aut doli mali. sic Probus'¹⁾.

Itaque, ut summam faciamus, recensionis δ exemplaria Terentiana quodammodo pendere ex recensione Probi, et praeter Donati commentum scholia quoque Bembina reliquias exhibere interpretationis Probianaæ intellectum est.

Probum carmina Vergilii recensuisse constat et Anecdota Parisini de notis testimonio et commenti Seruiani. Cum uero Probi memoria praecepue seruata sit non Seruui ipsius, sed Danielis quae dicuntur scholiis, omnis haec de Probo Seruui auctore quaestio coniuncta esse uidetur cum illa de Seruiani commenti natura atque origine (cf. Thomas, Essai sur Servius et son commentaire sur Virgile, Paris 1879; Georgius Thilo, edit. Seruianaæ vol. I (1881) praef. p. V sqq.; Klotz, Quaestiones Seruianaæ, diss. Gryphisw. 1882; Henricus Georgii, Die antike Äneiskritik, Stuttgart 1891 praef. p. 38 sqq. p. 569; cf. Paulus Wessner, Burs. Jahresber. (1908) 138 p. 157 sqq.). Potuerit quispiam ex codicem scripturis colligere uestigia recensionis Berytii, cum traditus sit Probus i litteram duabus uocalibus interpositam geminasse (Seru. Aen. I 1), 'nactus' scripsisse absque n (Prisc. GL II 513, 7 K). Tamen i litterae geminatae scriptiones certo arguento esse nequeunt ideo quod non noua a Berytio inuenta est haec consuetudo, sed auctoritate eius tantummodo denuo commendata; accedit quod satis frequens illius scripture occurrit usus, ita ut, ubi ea deprehendatur,

De recen-
sione Vergili

Quid reli-
quum sit

1) unde appareat, etiam adnotationem Seru. ad georg. I 151 'ROBIGO autem genus est uitii quo culmi pereunt, quod a rusticis calamitas dicitur. hoc autem genus uitii ex nebula nasci solet, cum nigrescunt et consumuntur frumenta. inde et Robigus deus et sacra eius decimo Kl. Maias Robiginalia appellantur. sed haec res ab usiue robigo dicitur: nam proprie robigo est, ut Varro dicit, uitium obscaenae libidinis quod ulcus uocatur' ex Varrone per Probum in Seruii commentum inlatam esse. Quod si est, simul edocemur qua ratione et uia Probus instituerit uocis originem explicandam; nam a Varronis uerbis eum profectum esse appareat ad declarandam etymologiam; cf. Maximil. Dorn l. s. p. 9. — Probi ueriloquium in glossas transiit CGL V 205, 42: 'Grando a rusticis calamitas appellatur unde et terrentius sed ecce ipse creditur nostri fundi calamitas'. (cf. Wessner, append. edit. Donat. ad Eun. I 1, 34.)

minime certa uia deducamur ad Valerium Probum. Quae in codicibus Vergilianis adhuc cernerentur duplicitis i scriptiones, tamquam ad Probi rationem pertinentes collegit Otto Ribbeck (proleg. p. 138). ‘Nactus’ scriptionis exempla collata sunt in indice grammatico Ottonis Ribbeck (proleg. p. 434). Sed in requirenda Valerii Probi memoria munitiore uia insistemus, si eos locos considerauerimus, ubi carminum Vergilianorum uerba emendauisse traditus est. Atque Vergiliani codices qui aetatem tulerunt neque pauci sunt et uetusti; quorum qui antiquissimus censemur, cuius exemplar exhibit schedae Vaticanae, ad quinti p. Chr. saeculi principium refertur. Probi igitur recensionis formam, quae esset auctoritas Berytii, non euauisse suo iure crediderit quispiam. Atque quod legendum commendauerat Probus Aen. I 44 TEMPORE, nullius hodie confirmatur codicis testimonio¹⁾. — Aen. I 441 Probus legerat genetiui figuram VMBRAE, ubi codices: VMBRAE (E eras.) F VMBRA MIRybc. — Primos duos uersus libri sexti Probus in quinti reliquerat fine, omnes uero codices illos ad initium sexti translatos exhibent. — PHOEBIGENAM Probus feliciter restituuisse traditur ad Aen. VII 773; eius figure tamquam imaginem unus seruauit Mentelianus primus²⁾: ‘phœnigneam’, cum ceteri codices exhibeant POENIGENAM My³b POENIGINAM R. — Aen. VIII 406 Probus INFVSVM legerat, ubi codices: INFVSVM (M man. ant. corr. in S) P INFVSVM (M man. ant. in ras) R, infusus Gell. IX 10, 2 Charis. 275, 4 Nonius 365, 28 effosus Diom. 460, 18. — Aen. IX 369 Probus legisse uidetur REGIS; nam haec adnotata sunt in schol. Veronens.: ‘IBANT nullo³⁾ a]lio loco ostendit illos a Turno missos. Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse (Aen. VII 600): ‘Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas’. Integralm prioris enuntiati formam tradit Seruius (auct.) ad Aen. IX 365 ‘PRAEMISSI EQVITES hos neque alio loco a Turno missos usquam dixit nec prius de eis mentionem fecit. dubitatur ergo a quo sint uel quibus praemissi uel cur praemissi, cum

1) Ottonis Ribbeck utor copiis; codicum qui ad hanc disputationem pertinent notae sunt haec: F = schedae Vaticanae, M = cod. Mediceus, P = cod. Palatinus, R = cod. Romanus, γ = cod. Gudianus, a = Bernensis 172, b = Bernensis 165, c = Bernensis 184.

2) quod est exemplar antiquius, suppeditatum a Ioanne Mentilio medico Parisino. Eundem librum inter ceteros solum exhibuisse lectionem ‘floros’ a Probo Aen. XII 605 vindicatam Nicolaus Heinsius auctor est (Otto Ribbeck prol. 355).

3) nullo a]lio: O. Ribbeck prol. 143.

eos constet aliis iam in campo positis aduenire¹⁾). Haec autem non erat reprehensio M. Valerii Probi, quae qua in re posita fuerit cognoscitur ex adnotatione Seruui ad uers. 365 ‘VRBE LATINA non est contrarium illi loco ubi ait (VII 600) ‘saepsit se tectis rerumque reliquit habenas,’ quod modo a Latina urbe auxilia uenire commemorat: intellegimus enim Latinum in principio discordiae et tumultus paululum se abstinuisse, postea tamen nec suorum copias nec propria denegasse consilia; nam eum et coetui et foederibus interfuisse dicturus est²⁾). Probus igitur in eo offensus erat, quod ex urbe Latina, sede regis Latini qui taedio depulsus omnino bello abstinuisse, nunc Turno Rutulisque responsa regis Latini referri auxiliaque mitti dicerentur. Ex quo intellegitur duas hoc loco a diuersis criticis censuras Vergilio factas esse; quarum alteram qui mouerant in eo maxime haerebant, quod dubitaretur ‘a quo essent uel quibus praemissi equites uel cur praemissi’, cum Probus aperte intellegerer eos a Latino rege Turno auxilio missos esse. Itaque apparent eos qui mirabantur, quod nunc equites dicerentur Turno regi responsa ferre qui nullo alio loco a Turno missi essent, uersu 369 legisse TVRNO REGI, cum Probus et Seruius REGIS legisse uideantur, regis uidelicet Latini responsa, sicuti praeterea Seruius aperte ostendere uidetur cum regem Latinum dicat ‘nec propria denegasse consilia’. Cuius tamen lectionis Probiana, quam Seruius auct. ad u. 367 in ‘omnibus bonis’ inueniri con-

1) sed cf. Tib. Claudi Donati interpret. Vergil., Lips. 1906 II p. 237.

2) Plane eadem ratione usus est Seruius ad Aen. IV 697 cum pronuntiaret: ‘SED MISERA ANTE DIEM non est contrarium quod dicit in decimo <467> ‘stat sua cuique dies’ etq. Quae cum proferret Seruius, refutauisse uidetur eam quaestionem quae ad superiorem uersum adscripta est: ‘Cum dicat Vergilius <X 467> ‘stat sua cuique dies’, quomodo hic dicit ‘nam quia nec fato merita nec morte peribat, sed misera ante diem?’ Nam si fato uiuimus, quid agunt merita? si pensamur meritis, quae uis fati? quomodo hic et fatum admittit et meritum?’ etq. Itaque nescio an recte hanc disquisitionem ad Probum retulerit quispiam. Quod utcumque est, id certe statuere licet, eum qui nunc ad IV 697 Vergilium defendit, eundem esse atque illum qui ad IX 365 Probi reprehensionem refutauerat. Cuius igitur commentatoris uerba quae sequuntur si consideraueris ‘non est contrarium — nam ut saepe diximus, secundum sectas loquitur, et hoc secundum alios, illud secundum alios dictum est’, rectius iudicabis de adnotatione Seruui ad Aen. X 18 ubi haec leguntur: ‘HOMINVM DIVVMQVE AETERNA POTESTAS hunc locum Probus quaerit. sed dicit unam rem secundum physicos, alteram secundum mathematicos’ etq. Intellexeris enim uerba inde a ‘sed dicit . . .’ aduersario Probi tribuenda esse neque recte Ottonem Ribbeck (prol. 145) neque Iulium Steup (p. 109) omnem adnotationem Probo vindicauisse.

firmat, uestigium hodie agnoscitur nullum. — Aen. IX 811 AEGER, quod commodius hic esse Probus affirmauerat quam in quinto, hodie in omnibus exstat libris. ACER autem quod quosdam legisse tradit Seruius, nullius libri testimonio hodie confirmatur. — Aen. X 173 Probus subdistingui uoluerat ‘trecentos’, uerum in Mediceo qui unus huius enuntiati seruauit antiquam distinctionem, uerba aliter atque Probus uoluerat, cernuntur distincta, nam TRECENTOS INSVLA. IN EXHAVSTIS legitur. — Aen. X 303 Probus VADI legit, sed codices VADIS *P* VADIS *MRybc.* — Aen. X 539 INSIGNIBVS ALBIS legerat Probus, sed: A ... S *P₁* ARMIS *MP₂Rybc.*, unde suspiceris in Palatino prius exstisset, sed expulsam esse lectionem quam Probus commendauerat ALBIS, sicuti mutata erant a correctore codicis Palatini Probiana VADI (X 303) et INFV SVM (VIII 406). — Aen. XI 830 RELINQVVNT ‘alios’ legisse Seruius adnotat, inter quos Probus fuisse uidetur; atque Otto Ribbeck quam sibi finixerat Berytii auctoritatem secutus hanc formam textui inseruit. Codicum uero testimonia sunt haec: RELINQVENS (N et fort. S in ras.) *P* RELINQVENS *Mybe* RELIQVIT *R.* — Seruius haec adnotauit ad Georg. I 277: ‘Probus Horcus legit, Cornutus uetat aspirationem addendam.’ Sic enim legendum esse, non ‘Orchus’, Ottomem Ribbeck (prol. 139) secutus docuit Rudolfus Reppe (de L. Annaeo Cornuto, diss. Lips. 1906 p. 39 sqq.). Atque HORCVS hodie legitur in codice Palatino.

Qua ex lectionum recensione confirmari uidetur, inter Vergilianos codices Palatinum et Romanum quodam uinculo ex recensione Probiana pendere; deinde singulari loco habendum esse Mentelianum illum librum qui unus, si testibus fides, duas Probi lectiones (Aen. VII 773) ‘Phoebigenam’ et (Aen. XII 605) ‘floros’ seruauit. Nam quod schedarum Vaticanarum exemplar ex ipsa Probi recensione ortum esse dubitanter contenderat O. Ribbeck (prol. 283) eo argumento fretus, quod ‘quaedam ad grammatici alicuius antiquiores et rariores formas praeoptantis uel in scribendis uocabulis certa praecepta exequentis auctoritatem redirent’, equidem manus dare nequeo, cum scribendi consuetudinem uix argumento esse supra uiderimus.

De Horatii
recensione

Valerium Probum carmina Horatiana recensuisse testimonio Anecdotti Parisini constat; certam uero lectionem aut adnotationem ad Probum referre difficile est ideo, quod nomen Probi in iis commentariis Horatianis qui aetatem tulerunt, legenti non

occurrit¹⁾). Quae fuerit recensionis Probianaæ uis atque pondus uel quae etiam nunc deprehendi possint reliquiae, haec nouisse eius summopere refert, qui librorum manuscriptorum fatis per saecula expositis de uerbis poetae restituendis definiturus est. Qua in re contrariae sibi positae sunt duae sententiae. Nam Fridericus Leo (Gött. gel. Anz. 1904 p. 854 sqq.) carmina Horatii eam ob rem constanti quadam et definita forma aetatem tulisse adfirmauit, quod Valerii Probi diligentia atque auctoritate custodita essent. Cui Fridericus Vollmer (Zur Überlieferung des Horaz. Philol. Suppl. X 261 sqq.) ita assensus est ut formam carminum quae nunc circumferretur, ad Mauortii exemplar Porphyronis commento auctum referendam esse pronuntiaret, Mauortii autem recensionem exemplaris Probianaæ figuram exhibere (l. s. p. 317). De indiciis recensionis Probianaæ disputauit l. s. p. 266 et 272. Contra quos Otto Keller (Zur Überlieferungsgesch. d. H., Rh. M. 61 [1906] p. 78 sqq.) cum suam defenderet sententiam negauit (p. 81 et 83) recensionis Probianaæ hodie ullum posse agnosciri uestigium. Quo in discrimine in ea parte quae ad Valerium Probum pertinet, hoc interim statuendum est cauendum esse, ne nimia tribuatur Berytio editori laus atque auctoritas (cf. p. 57 sqq.).

Codicis Monacensis (s. XV) qui olim Petri Victorii fuit, epanorthoses et notas criticas, quas Theodorus Bergk (Fleck. Jahrb. 83, 316 sqq.) ad Valerii Probi recensionem retulerat, non ueteris esse memoriae, sed a Marullo ad pictas esse docuit Hermannus Sauppe, ind. schol. Gotting. 1864/65. Neque tamen dicendum est condicionem carminis Lucretiani nimis perturbatam esse quam ut manum ostenderet grammatici recensentis; etenim Probus, cum recensiones curabat, non integrum sua manu²⁾ prescribebat opus, sed notas apponebat; quae si postea a librariis omittebantur, omne operae Berytii uestigium euanescebat (Steup p. 81 adn. 2; Frid. Vollmer l. s. p. 267).

De Lucretii
recensione

Sallustianum illud (Catil. 5) uocabulum 'loquentia' quod recte restituisse sibi uisus erat Valerius Probus (Gell. I 15, 18), hoc M. Cornelius Fronto in suo exemplari non legit, si quidem id protulit ea quam Probus expulerat forma 'satis eloquentiae

1) Gudeman colligendas sibi proposuit quae Valerii Probi reliquiae ad interpretis officium pertinentes aetatem tulisse uiderentur (cf. adnot. Friderici Vollmer in Philolog. suppl. X p. 267).

2) Fronto inter claros litterarum Latinarum grammaticos uel uiros, qui sua manu aliorum scripta descripsissent, Valerium Probum non nominauit (p. 10 Nab.).

sapientiae parum' (p. 107 N), uel detorta sententia 'parum eloquentiae sapientiae nihil' (p. 155 N, cf. Haupt, opusc. II 354); neque Prisciani auctor (GL III 85, 4 K) Valerii Probi emendationem accepit. Ex libris Sallustianis manu scriptis (Rudolfus Dietsch, Gai Sallusti Crispi quae supersunt, Lips. 1859 p. 141) uocabulum 'loquentiae' pro uaria scriptura inter lineas positum exhibet Lipsiensis saec. XI exeuntis (Dietsch p. 9); eraso 'e' uocabulum 'loquentia' restitutum est in duobus libris, quorum alter est Parisinus 6088 (Dietsch p. 6) multis glossis ornatus, cuius in textu pauca correcta sunt nonnullaeque glossae adscriptae manu recentissima (fort. saec. XVII), alter Guelferbytanus saec. XV in Italia exaratus, cuius externo nitori fidem tamen non respondere affirmat editor (Dietsch p. 10). Qui codices omnes in deterioribus numerantur, quippe qui lacunam (Iug. 103₂—112₃) expleuerint quidem, uerba tamen (Iug. 44₅) 'muniebantur ea' non exhibeant (K. L. Roth, Rh. M. IX [1854] 133) et (Iug. 21, 4) 'de controuersiis suis iure potius quam bello disceptare' omittant (Roth p. 132)¹⁾. Praeterea Cyprianus a Popma (ed. Sall. Louanii 1572) scriptum esse 'loquentia' in cod. S. Martini Louaniensi testatur, Gottlieb Cortius (C. Crispi Salustii quae exstant, Lips. 1724 p. 33) 'loquentia' scriptum esse affirmauit in manuscripto quem Incertum uocare soleret. Franciscus Dorotheus Gerlach (C. Crispi Salustii quae exstant, Basil. 1827 uol. II p. 16) in codice Veneto IV 'satis loquentiae' ('sed per emendationem') fuisse testatur. Quod si est, coniectura Probi ab antiquorum temporum uiris in textum non recepta a medii demum aeui uiris litteratis ex Gellio in exemplaribus adscripta uel substituta esse uidetur.

De Plauto Fridericus Leo (Quaest. Plaut. p. 22 sqq.) nimia fortasse auctoritatis Berytii opinione ductus adfirmauit Valerium Probum non modo editionem Plauti curauisse, sed illius grammatici opera factum esse ut omnino Plauti fabulae memoriae restitutae essent. Cui uero sententiae testimonia uetera non ita fauere uidentur;

1) nam quod Rudolfus Dietsch editioni praefatus disputauit, uerba Iug. 21, 4 'de controuersiis — disceptare' ex docti grammatici cuiusdam adnotatione in textum recepta esse, non procedit. Etenim ex iis locis quos Frid. Kritzius (C. Sallusti Crispi opera, Lips. 1834 II p. 136) attulit Caesaris et Liuii e libris adsumptos, appareat uerba non esse facta ex arbitrio commentatoris supplentis, sed sollemnia esse quibus senatus tali in re uti soleret, itaque a Sallustio, cum uerba senatus referret, non omitti potuisse. Idcirco cum Carolo Lud. Roth (Rh. M. I. s. p. 132) statuendum erit, eos codices qui ea exhibeant, inter praestantiores censendos esse, qui ea omittant, inter deteriores.

nam sicuti Probum editionem Plautinam fecisse nullius monumenti testimonio constat, ita inde ab altero p. Chr. saeculo non noua quaedam editio, sed sola illa Varronis recensio XXI fabularum circumferebatur, quae aetatem tulit ad nostrum aeuum. Praeterea ne eo quidem necessario deducimur ut affirmemus Probum Varronis editionem redintegrasse; nam ea quae Suetonius perhibet de memoria ueterum Romae abolita, ita accipienda esse ut e magistrorum ludis tum temporis remota essent ueterum scripta, supra expositum est p. 5 sqq. Praeterea Plauti fabulas ne legisse quidem diligenter uidetur Valerius Probus, si quidem apud Donatum ad Phorm. II 3, 25², adnotata leguntur: 'MALE LOQVI pro male dicere. quaerit Probus quis ante Terentium dixerit.' Sane non nunquam in grammaticorum sermone 'quaerere' idem ualet atque 'quaestionem scribere de aliqua re', qua de significatione exemplis propositis Iulius Steup disputauit (p. 47). Tamen, quia Probus nouas uoces obseruare solebat, ueluti Sallustium nouatorem uerborum (Gell. I 15, 18) appellauit et 'nouam uocem "praefocare" miratus est' (Diomed. GL I 365, 9 K), hic quoque facile credideris Probum de noua quadam uoce quam primus Terentius adhibuisse cogitauisse. Atque Paulus Wessner iam in editione Donati adnotauit dictum esse iam a Plauto 'male loqui' Truc. 265; ipse alterum subiunxi exemplum Capt. 564.

Cum carminibus Persii coniuncta in codicibus tradita est uita poetae, quae dicitur 'ex commentario Probi Valerii sublata'. Quod nomen num recte additum esset, inde ab Ottonis Iahn temporibus disputatum est. Atque hic (proleg. edit. 1843 p. CXXXVI) doctissimum fuisse uitae scriptorem neque ita longe remotum a Persii ipsius aetate statuit. Qua re tamquam argumento nisus Probi Valerii nomen recte a codicibus tradi docuit, neque tamen uitam, perturbata qua esset condizione, talem a Berytio scriptam esse qualem nunc legimus, sed ex diuersis Probi adnotationibus congestam esse. Cui sententiae Theodorus Bergk (Zeitschrift f. d. Altertumswiss. 1845, p. 125) cum assentiretur, exempli loco attulit consimilem Marcellini uitae Thucydideae condicionem. Carolus Ludonicus Roth, editioni libri de gram. et rhet. Suetonii 1857 praefatus p. LXXXV iudicium suspendit, neque tamen recte Casaubonum dixisse Suetonium auctorem uitae. Deinde Augustus Reifferscheid 1860 cum reliquias Suetonii colligeret, p. 394 iterum uitam Probo vindicauit, Suetonium autem illa uita usum esse. Rectius quam Otto Iahn perspexit, non congestam esse uitam ex scholiis, sed consilio atque ordine

De Persii
recensione

De uitae
Persii auc-
tore que
sententiae
prolatae sint

uitam conscriptam esse, cuius misella tantum excerpta interpolationibus insuper inquinata ad nos peruenissent. Iulius Steup qui omnem Probi uel Proborum memoriam collegit 1871 (p. 125 sqq.) commentarium et uitam non Berytio, sed Valerio Probo minori quem sibi finxerat, attribuit, uitamque Persii commentario praemissam fuisse pronuntiauit, sicuti Vergilii commentariolo Probiano etiamnunc praefixa legeretur uita Vergilii. Deinde Gustauus Körtge (In Suetonii de uiris illustribus libros inquisitionum capita tria, diss. Halens., uol. XIV 1900 p. 228 [42]) uitam Persii a Valerio Probo remouendam esse censuit eo argumento fretus quod, si Berytius re uera uitas scripsisset, Suetonius ‘ut biographus minime praetermisisset, istius negotii mentionem facere’; uitam deinde Suetonio attribuit ideo quod uestigia prae se ferret eius rationis Suetoniana quae cerneretur in reliquis biographi libris. Deinde Fridericus Leo in libro Lipsiae 1901 edito, quo exposuit Graecos in uitis scribendis certis rationibus se astrinxisse Romanosque hoc in genere omnino Graecos secutos esse, p. 18 adn. docuit, ex eo quod Probiana uitae ratio congrueret cum illa qua Suetonius usus esset, deduci non posse illam uitam huic auctori attribuendam esse, quippe cum uterque exempla Graecorum maximeque Alexandrinorum continuauisset. Id quoque recte statuisse uidetur Fridericus Leo, Suetonium disertis uerbis de uitis quas conscripsisset Probus, ideo non egisse quod hoc officium in munere grammatici scripta recensentis contineretur, atque ideo non esse cur auctoritati codicum nomen Probi exhibentium fides negaretur (sed cf. Wessner, Burs. Jahresber. 113 p. 143). Paulus denique Wessner in illa disquisitione qua de Aemilii Aspri studiis ac uita inuestigauit 1905, Gustau Körtge repetit argumentum, cum Probum uitam omnino conscrispisse negaret ideo quod biographus Suetonius hac de re nihil tradidisset. Quod si rectum esset, iure nos negaremus Remmum Palaemonem primum inter Latinos artem grammaticam composuisse; nam Suetonius haec non tradidit. Probum porro omnino in numero eorum non habendum esse qui ante Suetonium uitas conscriperunt, inde sibi persuasit uir doctus quod Suetonius inter eos quos sequi se profiteretur, Probum non nominauisset. Ad quod respondebimus, Probum re uera librum ‘de uiris illustribus’ non scripsisse, Suetonium autem eos tantummodo nominauisse quos auctores haberet inter Latinos in hoc quod erat proprium quoddam litterarum genus, sicuti Graeci scribere solebant *περὶ τῶν . . . διαποεψάντων*. Nam

p. 3 R.

quod dicit Wessner minime probabile esse, post editionem a Caesio Basso a. 62 curatam tam exiguo spatio intermisso alteram editionem a Probo factam esse, argumento esse nequit. Nam si omnino Probus Persii carmina edidit, hoc posteriore parte uitae fecisse uidetur, siquidem in Anecdoto Parisino nondum commemorata est editio Persii (cf. p. 10). Probum autem uitam usque ad initium secundi saeculi produxisse supra demonstratum est (p. 31); praeterea carmina Persii statim edita ab hominibus direpta esse uitae auctor et carminum editor tradit (p. 59, 16 B).

Iam in ipsam uitae formam inquirendum erit, in qua hoc De uitae
Persii forma imprimis memorabile est, quod ex duabus consuta uidetur partibus, quarum altera incipit ab illo ‘sed mox ut a schola magistrisque deuertit’. Quam partem non ab illo qui primus uitam conscripsit, coniunctam esse cum superioribus inde intellegitur, quod uitae enarrationem, qualis legitur inde a principio usque ad ‘decessit autem uitio stomachi anno aetatis XXIX’, perfectam et conclusam esse apparet, neque solum opere absoluto quasi supernacula illa addita sunt, uerum etiam repetuntur quaedam quae in ipsa uita lecta erant, uelut illa de scriptis Persii a Cornuto leuiter correctis. Praeterea ea quae 58, 21 leguntur ‘nam Cornutus illo tempore tragicus fuit sectae poeticae qui libros philosophiae reliquit’ a primaria uitae forma tamquam aliena remouenda sunt ideo quod illa de Cornuto notitia, praeterquam quod non primo sicut conuenerat quo nominatus sit Cornutus loco 58, 15 adscripta est, repugnat cum totius uitae tenore, cum ceterorum uirorum nomina relata sint nulla addita explicatione; unde recte agnouisse sibi uisus erat Otto Iahn, scriptam esse uitam a uiro non ita remoto a temporibus ipsius Persii, quippe qui homines a legentibus cognitos esse supposuisset. Porro ‘tragicus fuit sectae poeticae’ sensu caret. Recte igitur Theod. Bergk haec uerba secreuit ex contextu. — Alienis igitur quae adglutinata erant resectis, de ipsis uitae uerbis disputandum erit. Atque primum p. 58, 24 sqq. memoria turbata sic restituenda esse uidetur: ‘ut uix se retineret recitante eo clamaretque illa ipsa uera esse poemata, sua se ludos facere’, ubi diligenter retulisse apparet scriptorem uerba Lucani quae, ut in exclamacione, cottidiani sermonis figuram exhibent. Atque cum ita exclamasset Lucanus ‘se in cassum laborare in faciendis carminibus’, eadem fere significatione usus est illa locutione ‘ludos facere’ qua Plautus dixit (Rudens 900): ‘nam nunc et operam ludos facit et retia / ut tempestas est nunc atque

ut noctu fuit'. Quod narrat scriptor de Persio carmina sua recitante, conferenda sunt quae dicit Seneca controv. IV praef. 2 p. 225 Müller: '(Pollio Asinius) primus omnium Romanorum aduocatis hominibus scripta sua recitauit' et Vita Lucani p. 50, 5 Reiff.: '(Lucanus) ciuale bellum . . . recitauit'. De Lucano aliorum carminum admiratore cf. Vita Lucani p. 50, 6 R. — Interest meminisse quae de Seneca dicuntur 58, 25 'sero cognouit et Seneccam, sed non ut caperetur eius ingenio'; nam manifesta intercedit necessitudo inter hoc iudicium et illud Quintiliani quod legitur in illa Graecarum et Latinarum litterarum censura¹⁾ X 1, 125—131; praecipue conferenda 130: 'uelles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contempsisset consensu potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur'. Similiter cum uitae scriptoris iudicio omnino conspirat illud Quintiliani X 1, 94 'Multum et uerae gloriae quamuis uno libro Persius meruit. Sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur'.

Iam de omni expositionis forma dicendum erit. Etenim non esse ex scholiis congestam hanc uitae enarrationem Augustus Reifferscheid ostendit (Suet. p. 396). Neque uerum id quod hic putauerat, excerpti figuram exhibit uita; nam nihil desideratur ad intellegendum sensum. Nam quod quis potuerit dicere, desiderari in hominum nominibus explicationes²⁾ ueluti ad Seruilium Nonianum, Calpurnium Staturam, Petronium Aristocratem Magnetem, respondendum est, non ita breuiatorem procedere ut quae necessaria sint ad intellegendum omittat, sed nomina ipsa hominum quos nouisse posteriorum non interesset, omittere debebat excerptor. Neque rectius quispiam, ut excerpti forma probaretur, attulerit elocutionis genus, sententias dico iuxta positas nusquam fere iunctas particulis, enuntiata concisa, uerba ubique in initio enuntiatorum posita uelut 'natus', 'studuit', 'amicos habuit', 'fuit', 'relinquit', 'scriptitauit', 'scripserat', 'decessit', unde appareat breuiatoris studium quo omni concinnitate ac lepore dictionis posthabitum necessaria tantum atque sententiam maxime significantia legentibus proponere uoluerit. Nam tum possumus et didascalias et ἴποθέσεις quae dicuntur Alexandrinorum excerpta esse dicere,

1) cf. I. V. V. Claussen, Quaest. Quintil. Fleck. Jahrb. Suppl. VI (1872) p. 357 sqq.

2) de uiris, quorum nomina occurrunt in uita, Otto Iahn disputauit (proleg. p. VIII); de Seruilio Noniano cf. Franciscus Buecheler Rh. M. 42 (1887) 473.

quae omnes ita comparatae sunt, ut sententiae altera alteri subjectae sint nulla iuncturae iucunditate inter se conexae, praepositis uerbis ἐδιδάχθη ἐκορήνει προλογίζει. Sed quod didascalias nominauimus quas grammatici Alexandrini editionibus scriptorum addebat, in rectam incidisse uiam uidemur. Solebant enim grammatici Alexandrini, quos scriptores ederent, eorum uitas componere editionibusque praefigere. Qua in re Aristotelicorum instituta cum continuauissent, certum eos excoluuisse expositionis schema Frid. Leo docuit (l. s. p. 130), dicendi uero genus peripateticorum dictionis illecebris ornatum adeo eos reliuisse, ut omissio omni quo delectarentur legentium animi lepore ac nitore res ipsas significasse satis haberent. Iam uidendum erit, si quae similitudines intercedant inter Persii uita Valerio Probo adtributam et Alexandrinorum rationem. Cuius inter proprietates praecipua cernitur haec, ut diligentissime obseruatum sit quibus quisque usus fuerit magistris, ad cuius doctrinae uel uiri exemplum ingenium formatum sit (conf. Leo p. 18 sqq.). Atque simili plane studio in uita Persii sedulo adnotatur quibus magistris usus sit, quos uiros uelut rectores atque ingenii formatores secutus sit. Necnon ab Alexandrinorum consuetudine petita est accurata illa temporum definitio, quo natus esset poeta et mortuus (Leo p. 19). Deinde nec dispositionis Alexandrinorum partes sollemnes (Leo p. 130) desunt uelut parentum nomina (58₉₋₁₁), studiorum ratio et cursus (58₁₂₋₁₇), qui fuerint magistri uel amici (58₁₃-59₅), τὸ εἶδος (59₆₋₉), quantum possederit bonorum quaeque testamento legauerit (59₁₀₋₁₅), scriptorum enumeratio (59₁₆₋₂₃), quantam sibi comparauerit gloriam (59₂₄₋₂₅), cf. Leo p. 28; 30. E more eorundem Alexandrinorum fuit ut, quo magis elucerent morum atque indolis proprietates, eas exprimerent singulis maxime et significantibus uocabulis, ueluti legitimus in uitis ἐγένετο δὲ καὶ θεοφιλῆς (Leo p. 67; 133). Atque eadem ratio conspicua est in uita Persii (59₆): ‘fuit morum lenissimorum’ (59₉), ‘fuit frugi’ σώφρων (Cic. Tusc. III 8, 16), ‘pudicus’ αἰδήμων. Oriebatur praeterea ex certo illo discriptionis scheme mos, ut uerba in principio collocarentur quasi inscriptiones et tituli eius partis quae sequeretur (Leo p. 134), id quod non minus obseruatur in uita Persii, ubi in principio enuntiati leguntur ‘natus’ ‘decessit’ ‘pater’ ‘studuit’ ‘amicos habuit’ ‘fuit’ ‘reliquit’ ‘scriptitauit’.

Ratione atque consilio quibus conscripta sit uita Persii ex-
positis nunc de proprio scriptoris genere dicendi agendum erit. De Valerii
Probi generi
dicendi

Atque primum, si quidem de Valerio Probo auctore quaerimus, de huius sermone disputabimus. Atque ille repetiuisse uidetur, quod erat eius de incorrupta Latinitate iudicium, uerba ex antiquo sermone quae spreta a recentiorum polito genere dicendi in uulgarem consuetudinem deciderant, ueluti utebatur uocabulo ‘donicum’ (Charis. GL I 198, 12 K), quod ueteres plerumque dixerant (Neue, Formenlehre II 970; Dräger, Histor. Syntax, Leipz. 1882² II 611 sqq.¹); S. H. Schmalz, Arch. f. lat. Lex. VI 335), et ex primi saeculi scriptoribus qui uulgari usi sunt sermone, uelut Scribonius Largus et Vitruvius et qui temporibus Aurelianii fuit Iulius Valerius (p. 25, 1; 78, 14; 103, 26 Kuebler). Vulgaris deinde sermonis sunt frequentatiua uerba uelut ‘raptatur’ (Seru. ad buc. VI 76). Ex eodem genere adsumptum est uocabulum ‘percontari’ (Don. Andr. V 3, 4_s; Gell. XIII 21, 3), quod Latini non nisi demisso stilo admittebant. Porro ex uulgari sermone repetita est locutio ‘iuxta esse’, quam in adnotatione Seruui ad Aen. X 182 ‘Probus „adiciunt adiacent et quasi iuxta sunt“ tradit’ neque Otto Ribbeck (prol. p. 146) neque Iulius Steup (p. 110), qui eam ad situm locorum retulit, recte intellexerunt. Probus autem cur Caeretani auxilia adiecissem dicantur declaraturus eos et finitos esse dicit (‘adiacent’) et uinculo quodam coniunctos esse uel societatis uel affinitatis (‘iuxta sunt’). Cuius locutionis apud Latinos exemplum est Suetonianum illud (Calig. 10): ‘tantique in auum et qui iuxta erant obsequii, ut non immerito sit dictum etq’s’. Graeci μετά τίνος εἶναι dicebant. Eadem ratione qua hic particula ‘quasi’ posita est, Probus dixit (Donat. ad Andr. V 3, 4): ‘est autem ain quasi aisne’ (cf. Gell. VI 10, 3: ‘capiro quasi captio’): uidelicet non ad similitudinem quandam exprimendam, sed prorsus ad congruentiam. Graeci ita in explicandis rebus ὡς usurpabant. Vulgaris denique sermonis est illud ‘propter scribendi facultatem’ GL IV 271, 4 K in praefatione commentarii de notis, ubi editor Probianum sermonem parum intellegens et ad perpolitae Latinitatis regulam accommodaturus ‘difficultatem’ scripsit, siquidem

1) id quod Dräger affirmat ‘donicum’ non nisi indicatio modo accommodari, non procedit, si quidem in glossis legitur CGL V 16, 28 ‘donicum eiurem: donec refutem’; et Valerius Probus παραρράσει usus non nisi coniunctionium modum ponere debuit: ‘non eam usque uolo amare “donicum effligatur” id est frangatur puella atque exanimetur. Quam παράρρασιν uerbi Naeuiani cum poneret Valerius Probus, Aristarchi sequebatur exemplum, cuius λέξεις Homericæ circumferebantur, sicuti appareat ex schol. Venet. A ad B 435 ΜΗΚΕΤΙ ΝῦΝ Δῆθ ΑἴΘΙ ΛΕΓΩΜΕΘΑ· οὖτως αἱ Ἀριστάρχου λέξεις ἐκ τοῦ Β τοῦ Ἰλαδος· ΔῆθΑ πολὺν χρόνον ΑἴΘΙ αὐτοῦ ΛΕΓΩΜΕΘΑ ονταθροιζόμεθα.

Cicero Caesar Vergilius praepositionem ‘propter’ posuerint ad declarandam causam, non ad finem ostendendum; licet ueteres (Sallust. Iug. 100, 1) et posteriores (Iustin. 11, 7, 4) ita dixissent (Dräger, Syntax I 590), ita ut in ueterum usu et in uulgari consuetudine ‘propter’ omnino idem ualeret atque Graeca particula ἐνεπι. Etenim in uniuersum constat, Graeca uerba et dictiones ex Graeci sermonis exemplo figuratas, quas qui polite scriberent diligenter uitabant, plurimas fuisse in Latinae gentis uulgari sermone et in litteratorum cottidiano usu. Valerius autem Probus minime Graecis uocabulis abstinebat, quippe qui ἀπίθανον πλάσμα dixerit (Seru. Aen. XI 554), neotericum (Seru. Aen. XII 605), ‘calamitas παρὰ τὴν καλάμην’ (Don. Hec. prol. I 2, 3), ‘in perfecto quod pro παρασεμένου et pro ἀριστον habemus, nam amauit πεφίλητα καὶ ἐφίλησα significat, similiter feci πεποίητα καὶ ἐποίησα, uidi ἐώρανα καὶ εἰδον’ (Prisc. GL II 445, 21 K), ‘manduco μασσῶμαι edo ἐσθίω’¹⁾ (Diom. GL I 364, 28 K). Itaque ne miremur Probum in ceteris quoque usum esse uocabulis Latinis illis quidem, sed ex Graeca ratione potius positis, ueluti sub illo ‘aliud agens’ quo Probus utitur (Seru. Aen. I 21) pro eo quod est ‘egressus ex argumento’ — qui significatus a ratione Latina alienus est²⁾ — latere appareat Graecam uocem ἀλλότριον ‘ab argumento alienum’, cf. Plut. Timol. 14, 15 ‘ταῦτα μὲν οὐν ἀλλότρια τῆς τῶν βίων ἀναγραφῆς οὐδὲ ὄχορστα δέξειν οἰόμεθα’. Et ad Aen. IX 371 ‘sublustris nox est habens aliquid lucis’³⁾ is dixit cuius menti frequentissimum illud Graecum ‘ἔχων’ obuersabat. Nempe non obliuiscimur Probum ortum in terra Graeca Graeco sermone inde a puero usum esse. Atque hac excusatione dixit (Seru. ad Aen. IV 418): ‘Si hunc uersum omitteret, melius fecisset’⁴⁾; nam simili ratione Graeci imperfectum ponebant, ueluti Xenoph. Anab. 6, 6, 24: ‘εἰ δὲ σὺ ἡγεσ, εὐ λύσῃ ὅτι οὐδὲν ἀν τούτων ἐποίησα’ (Kühner-Gerth II 2, 470 sqq.); et

1) de Graecis uocabulis interpretationis loco adscriptis in Charisii et Prisciani artibus egit Ioannes Tolkihn, Woch. f. klass. Phil. 1907, p. 1020 et Berl. phil. Woch. 1908, p. 1163.

2) Quo magis appareat Probiana locutionis nouitas, uerba posui alterius scriptoris Latinus simili in argumento, Quintiliani uidelicet XI 2, 11: ‘quod more poetis frequentissimo digressus in laudes Castoris ac Pollucis exierat’, ubi mirus sane est et sententiae et uerborum consensus cum Probiano ‘sed Vergilius amat aliud agens exire in laudes populi Romani’.

3) haec Probi esse uerba confirmatur scholio Veron. ad Aen. X 369: ‘Probus hic posuit aptissimum exemplum etqz’.

4) in quo dicto offenderat Bern. Kuebler (l. s. p. 18 adn. 4) tamquam Berytio indigno.

etiamnunc Italus recte dicit: ‘se giungeva al tempo stabilito, l'avrebbe visto’, id quod nos deducit ad cottidianam ueterum Latinorum consuetudinem, sicuti Plautus dixit Rud. 495 et 590: ‘si inuitare nos paulisper pergeret, ibidem obdormissemus’. Grammaticus uero Latinus ita dicere non debebat, et meminimus opprobrii infantiae quod in Berytium mouerat Suetonius (cf. p. 28). Atque omnino in praefatione commentarii de notis deprehenditur paupertas quaedam eloquii et asperitas. Nam quod dixit (GL IV 271, 3 K) ‘pro uoluntate fit’ optime quidem hoc fecit, sed minime recte dixit (271, 4) ‘pro usu publico fit’ et ‘pro obseruatione communi fit’, quae contra Latini sermonis ueritatem figurauit ex primo illo ‘pro uoluntate’, quod praeterea iterum legitur 271, 11. Eandem paupertatem ostendunt uerba in tam exiguo ambitu repetita ‘comprehenderent’ 271, 6 et ‘comprehendere’ 271, 11, sicuti in uerbis Probi a Gellio II 6₅₋₈ descriptis locutio ‘procul dubio’ minimo spatio intermisso reposita est (cf. Seru. buc. VI 76 ‘sine dubio’).

Probianaे igitur elocutionis proprietate enarrata quaerendum est num eadem conspicua sit in uita Persii dictione. Atque qui hanc conscripsit, ex prisca et uulgari consuetudine adsumpsit figuram frequentatiuam uerbi ‘scriptitare’ (59, 16 B), quamuis poetam non intentiore quadam diligentia scriptiō deditum significauerit, sed prorsus contrarium dixerit ‘scriptitauit et raro et tarde’. Eiusdem generis est illud (59, 26) ‘decessit uitio stomachi’; nam uocabulum quod est ‘uitium’ ea qua hic positum est significatione ‘morbi’ ab elegantioribus repudiatur in uulgari maxime et in medicorum sermone propagabatur. Cato, Varro, Scribonius Largus, Vitruuius eo usi sunt. Eodem pertinet figura uerbi ‘coepisse’ coniuncti cum infinitiuo, qua circumscriptione aoristi Graeci uis exprimeretur, cuius exempla in uita Persii leguntur (58, 15) ‘coepit uti’, (59₂₄) ‘diripere coeperunt’. De uetere ac uulgari locutione ‘ludos facere’ supra dictum est p. 47. Praeterea locutiones leguntur non rarae quae, ut in communi non erant usu, sic uirum demonstrant qui Graeco sermone potius assuetus Latina ex Graeca ratione ponebat. Quo in numero est illud (58, 11) ‘extulit’ id est ‘sepeliuit’, quod sane Latinum est neque tamen hac significatione facile inuenitur nisi addito ‘funere’ uel ‘mortuum’. Et re uera posteriores uitae Persii interpretes hanc uocem non intellexerunt¹), Graecis uero haec ξυφέρειν

1) nam ita legitur in uita Persii cod. Bernensium (E. Kurz, Die Persius-scholien nach den Berner Handschriften, Burgdorf 1889 p. 23): ‘Fulvia Sisennia

hac significatione sepeliendi trita erat inde ab illo famoso Hipponacteo ‘ὅταν γαμῇ τις κάλπρέη τεθνητίαν’, et omnino in communem abierat sermonem (Acta apost. 5, 9 ‘καὶ ἐξοίσουσί σε’ cf. 5, 6). Prorsus singulari quodam usu est illud (59⁷) ‘fuit pietatis erga matrem . . . exemplo sufficientis’, ubi ‘sufficientis’ idem ualere appetet atque ‘abunde sufficientis’ ‘maxime idoneum’ ‘egregie aptum’; qui uocis usus quamuis omnino non inusitatus, tamen non ita frequens est in litteris Latinis. Atque omnium quae inueniuntur proxime ad hanc figuram accedit locutio Curtii Rufi hist. Alex. VIII 4, 10: ‘multiplicato labore sufficientem malis, (quis) ipsi cesserant, regem deserere erubescabant’. Id uero obseruandum est hominem Latinum fere ubique hanc uocem adhibere in re mala atque molesta, ueluti Sueton. Vitell. 13: ‘epulas . . . quadrifariam dispertiebat . . . facile omnibus sufficientis uomitandi consuetudine’. Tamen appetet quantum intersit inter ‘sufficientis calamitati’ id est ‘obsistere ualens’ et ‘sufficientis laudi’, quod idem ualeat atque ‘adeo praestare ut laude dignus sit quispiam’ id est ‘per se sufficientis laudi’. Quae significatio ab usu Latino aliena esse uidetur, nam idem Curtius Rufus tali in re non ‘sufficientis’ ponere satis putauit, sed ‘abunde sufficientis’ ueluti III 6, 19 ‘aetas quoque uix tantis rebus matura, sed abunde sufficientis’. Iam appetet hanc locutionem ‘pietatis exemplo sufficientis’ singularem illam quidem in litteris Latinis¹⁾ referendam esse ad usum uocis Graecae *ἰκανός*, de cuius significatione ‘dignus, idoneus, abunde sufficientis’ conferas imprimis usum scriptorum Veteris Testamenti (Edw. Hatch, A concordance to the Septuagint, Oxford 1897 I p. 683); quae significatio praeterea comprobatur adnotatione Corp. Gloss. Lat. II 331, 42 “*Ικανός* sufficientis idoneus”.

Sicuti Valerius Probus in praefatione commentarii de notis ex praecedente illo ‘pro uoluntate’ insolentiora illa figurauerat ‘pro usu publico’ et ‘pro obseruatione communi’, ita uitiae Persii scriptor, sicuti 58, 15 dixerat ‘amicitia uti’, infra 58, 26 finxit ‘usus est conuictu’ quod nullus unquam dixit scriptor Latinus (cf. Thesaur. ling. Lat. s. u. conuictus). Eadem paupertatem

mater eius nupsit postea Fusio equiti Romano, qui Persium quoque extulit et nutriuit intra paucos annos’. cf. cod. Bern. 539 excerptum (l. s. p. VI) ‘Persium de Tuscia natum, Romae ex puero nutritum et de equestri ordine fuisse cognoscimus’.

1) Quint. inst. orat. I 9, 3 ‘quod opus etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractauerit, cuicunque discendo sufficiet.’ cf. inst. II 1, 6.

ostendunt particulae 'ita ut' similia in tam breui narrationis spatio saepius repetitae 58, 16 'ita ut', 23 'adeo ut', 25 'sed non ut', 59⁴ 'ita ut'. Neque illa ieiunitate quam adfectabant grammatici hoc in genere, excusantur quae 58, 9 leguntur: 'pater eum pupillum reliquit moriens annorum fere sex', quae asperitate laborant et ambiguitate; quae quidem sublata erit, si participium 'moriens' ita arte coniungatur uerbo 'reliquit', ut unam quasi appellationem exprimant duo uerba ('ματέλιπε θανάτον'), qui usus in Graeco sermone miro modo latius patebat quam apud Latinos (D. Augustus Matthiae, gram. Graec. (1835) pars II § 557 sqq. p. 1294).

Proprietates igitur sermonis in eo maxime contineri uidentur, quod scriptor uocabula tum prisca tum uulgaria inferre non dubitauerit, quod uerbis usus sit quae ex ratione Latina speciosa sint ac potius recondita, ex Graeca uero ratione triti ac frequentis usus. Unde agnoscitur scriptor Latina uerba dedita opera capessens, cuius in mente insederit forma Graecae originis. — Quae ratio omnino Valerii Probi generi dicendi accommodata est.

De vitae
Persii addi-
tamentis

Iam de additamentis agendum erit quibus uita Persii interpolata est a posteris. Atque primum (59₂₇—60₂, B) quae in epimetro perhibentur, Cornutum carmina Persii correxisse, ea in ipsa uita quamuis concisis uerbis tradita esse iam supra monuimus (p. 47); unde apparent ea hoc translata esse ex libro aliquo, quo de eodem argumento disputatum erat idque copiosius. Atque remotum esse non aliquantum a uitae ipsius ieiunitate huius epimetri dicendi genus et concinnitate quadam et elegantiae studio compositum esse iam animaduerterat Augustus Reifferscheid (Suet. p. 397), qui suspicatus erat (p. 398) Suetonianaे uitae fragmentum hic seruatum esse. Quam sententiam Gustaus Körtge dictionis Suetonianaē uestigis apertis confirmauit.

Altera illa quam Bergkio duce secludere solent editores interpolatio inserta est p. 58₂₁—3₂₈: 'nam Cornutus illo tempore tragicus fuit sectae poeticae qui libros philosophiae reliquit'; quibus sub uerbis latere intellexit Nemethy (Persii edit. Budapest 1903): 'Cornuto traditus fuit sectae stoicae philosopho cui libros reliquit'; qua in re, quod Cornutus stoicae disciplinae deditus esse traditur, id uitae scriptor non docuerat, Persius uero Cornuto usus esse magistro eique bybliothecam reliquisse in ipsa uita perhibetur. Itaque hoc quoque additamentum ex copiosiore uita adsumptum esse uidetur neque longe a ueritate aberrauerit is qui haec Suetonii uerba esse duxerit. De uerbis 'sectae stoicae philosopho' cf.

Suet. gram. 8 ‘studio Epicureae sectae’; gram. 18 ‘transiit ad Q. Sexti philosophi sectam’; rhet. 4 ‘quod consularis Isaurici sectam sequeretur’.

Quae uitiae Persianae condicio inlustratur simili statu uitiae Terentianae, quam ex Suetonii libro translatam commento Donatiano praepositam hodie legimus; nam subiectum est epimetrum quoddam de homonymis, de fide fabularum num recte ad Terentium referantur, quae secutus sit exempla Graeca, quomodo successerit poetae ars musica. Quae cum omnino ex ratione Alexandrinorum disputata essent, Leo (l. s. p. 12) affirmare non dubitauit haec ex Valerii Probi uita Terentiana sublata esse. Quod si uerum est, Donatus Terentii uitam Suetonianam quam in suum usum conuerterat, suppleuit ex Probianaे uitiae memoria. Atque consimilis quaedam compensatio facta esse uidetur Persii uitarum Probianaе et Suetonianae, ita ut illa breuior de Cornuto stoico notitia suo loco in margine adscripta sit, longior illa expositio de Persio Lucilii aemulo et Neronis insectatore, de Cornuto carminum discipuli castigatore, toti uitiae subiecta sit.

— Num igitur eae quae nunc leguntur interpolationes meram ostendunt memoriam Suetonianam? Non ita; nam is qui posteriore aeuo uitam Persii iterum descriptis, eam quam inuenierat adnotationem margini adscriptam textui inseruit et suo ingenio usus uerba adaptauit reliquo uitiae tenori. Atque primum illi quod Suetonium scripsisse appetet ‘Neronem principem’ (cf. Suet. rhet. 1), proprium significatum ‘principis’ non iam intellegens ex sui temporis ratione addidit ‘illius temporis’¹⁾; idem interpolator illud quod perperam legerat: ‘nam Cornuto tragicus fuit sectae poeticae philosopho cui libros reliquit’ ueram Latinitatem restituisse sibi uisus scripsit: ‘nam Cornutus tragicus fuit sectae poeticae qui libros philosophiae reliquit’, et eodem modo quo ad Neronem principem addiderat ‘illius temporis’, nunc inseruit ‘illo tempore’. Denique quo uerba iucundius transirent ad sequentia, posuit illud ‘sed’ eodem modo quo iuncturae gratia in principio epimetri posuerat ‘sed mox’. Neque tamen in hoc constituit interpolator; nam adnotatione ad sat. I 1 parum diligenter lecta addidit illud ‘cuius libri principium imitatus est’; cf. Frid. Marx ad Lucil. 383.

Iam huius disputationis summa facienda est. Etenim a Suetonio haec uita conscripta non est propter uerba illa (59_{1e}) ‘hunc

De Persii
vitae auctore

1) Locos quibus apud Iuuenalis interpretem leguntur uerba ‘illius temporis’ ‘illo tempore’ exscripsit Iustinus Woehrer, De A. Cornelii Celsi rhetorica, diss. Vindob. VII (1903) p. 83.

ipsum librum imperfectum reliquit' quae hanc uitae enarrationem coniunctam esse indicant cum ipsius Persii libri editione, quam Suetonius non curauit. Neque post Suetonium omnino probabile est scriptam esse uitam ideo quod grammatici, si qua opus erat uita in commentando uel edendo poeta, non nouas uitas conscribebant, sed ex Suetonii libro sibi sumebant, sicuti fecit Donatus cum commentum scriberet in Terentium et Vergilium. Et omnino, id quod grauissimum est, ea Persii memoria qualis in uita exstat, nisi breui post poetae mortem colligi potuisse non uidetur. Itaque statuendum erit uitam scriptam esse a grammatico temporibus Persii proximo (cf. Otto Iahn, prol. CXXXVI), qui Alexandrinorum instituta in edendo libro et conscribenda uita secutus sit. Quae omnia Valerium Probum ueluti digito demonstrant. Accedit quod sermo omnino accommodatus est dicendi generi Berytii. Cum praeterea traditum sit Valerii Probi nomen tamquam auctoris uitae, de Berytio Persii uitae scriptore et carminum editore dubitare non licet¹⁾. Nam recensum esse librum Persii a Valerio Probo comprobatur loco Diomedis GL I 373, 1 K: "piso pisas" et est apud Persium (I 58) ambiguum "a tergo eiconia pisat" an "pisit" legendum sit. sed apud ueteres reperimus etiam n littera addita "pinso" quod est "tundo" et "pinsit" secundum tertium ordinem, ut Ennius decimo annalium (351 Vahl.) "pinsunt terram genibus". huius perfectum "pinsui", ut apud Pomponium (188 Ribb.) "cum interim neque malis molui neque palatis pinsui". Quae uerba editorem Persii aperte ostendunt (Ludouicus Ieep, Priscian. Philol. 67 [1908] p. 36 adn. 44), quem Probum esse uersu Pomponii confirmatur exempli loco allato, qui iterum affertur a Prisciano GL II 535, 21 K addito nomine Probi: 'pinso pinsui facit perfectum, quod Probus usu Pomponii comprobat: "neque malis molui neque palatis pinsui". Quod praeterea legitur apud Diomedem 'pinsit secundum tertium ordinem', id mirum in modum inlustratur obseruatione Aldhelmi (A. Mai, classic. auctor. tom. V Romae 1833 p. 538) . . . tertiae coniugationis uel tertii ordinis, ut Valerio grammatico uocare libuit'. Nam quod Valerium dixit Aldhelmus, quin de Valerio Probo (quem 'Probum Valerium' iam Gellius dixit XIII 21, 1) agatur dubitandum non est, sicuti in codice Lauant. 24 (GL V

1) De scholiorum origine post C. F. Hermann et Ottomem Iahn egit E. Kurz, Die Persiusscholien nach den Berner Handschriften, Burgdorf 1889 p. VII sqq. M. Manitius Phil. 1905, 567—569; cf. praeterea Paulus Wessner Bursian. Jahresber. (1908) 138 p. 182 sqq.

325, 25 K) ‘Valerius’ dictum est, ubi de Valerio Probo Berytio agi credendum est (Frid. Vollmer, Philolog. Suppl. X 267).

Postquam igitur operam quam impendit Valerius Probus ^{Iudicium de Probo} recensendis tractandisque scriptoribus persecuti sumus, ratio fert ut iudicium faciamus de uiro cui fama posteriorum fuit ζέοντι ἀνθρώπων. Qua in re ita procedere uisum est, ut primum rationem quam secutus esset grammaticus in emendandis scriptorum uerbis perpenderemus, postea interpretationis existimationisque officio, quod in grammatica summum esse Dionysius dixerat, quomodo functus esset cognosceremus.

Atque paeclarum quo omnis Probi ratio ac uoluntas intelligatur in tractandis scriptoribus testimonium exstat apud Gellium I 15, 18. Nam legebatur in Sallustii Catilina 5, 4 ‘satis eloquentiae, sapientiae parum’; quod iudicium cum faceret de uiro historicus, usus esse uidetur ἀντίθεσεως genere in tali re minime insolito in litteris Latinis, cuius consimilem figuram profert Quintilianus X 1, 95, cum Varronis laudem restringeret: ‘plus tamen scientiae collaturus quam eloquentiae’; ceteros litterarum Latinarum locos qui huc pertinent collegit E. W. Fabri, C. Sallusti Crispi opera, Nürnberg 1845 ad hunc locum. Valerius tamen Probus non ‘eloquentiae’ sed ‘loquentiae’ legere coepit et sic a Sallustio relictum esse adfirmauit. Cuius emendationis causas attulit duas, alteram quod ‘loquentia’ nouatori uerborum Sallustio maxime congrueret, alteram quod ‘eloquentia’ cum insipientia minime conueniret. Ex eo uero quod eloquentiae uocabulo non apte designatam esse dixit insipientiam, intellegitur eum agnouisse in locutione Sallustiana ‘contentionis’ quam dicunt Latini figuram; et omnino hoc potissimum argumento ductum esse Probum ut traditum illud ‘eloquentiae’ mutaret scriberetque ‘loquentiae’, intellegas cum consideraueris quid effecerit mutata locutione. Effecit enim, ut clarior prominaret illa ἀντίθεσις qua insipientia loquacitatis ab historico contraria posita esset sapientiae. Verum hoc monendum est hac in re: neque Sallustium uocem loquentiae nouauisse, id quod affirmauit Valerius Probus, neque ipsum grammaticum felici conjectura eam assecutum esse; nam Iulium Candidum argute hoc uocabulum finxisse eoque uti solitum esse supra intellectimus (p. 31). Iam quomodo uersatus sit Valerius Probus in tractandis uerbis Sallustii intellegitur. Σχήματα igitur dictionis explorabat ad Dionysii Thracis se conformans uoluntatem, qui in partibus grammaticae numerauerat eam quae uocatur ἐξίγησις κατὰ τὸν ἐνυπάρχοντας ποιητικὸν τρόπον. Suppeditata

of Höhne Sal.
Text 33

uero ex sui aeui usu noua illa locutione ‘loquentia’, qua significantius exprimi posse uideretur illa quam in Sallustio agnouerat contrapositi figura, non haesitabat illam quae tum demum temporis innotuerat uox, in ueteris historici uerbis substituere. Submoto igitur quod traditum erat uocabulo eo procedit audaciae atque securitatis, ut Sallustium ipsum uocabulo feliciter facta ita scripsisse contenderet. Quam praeterea coniecturam, quamuis ingeniose esset excogitata, tamen necessitatem non habere dudum Iulius Steup uiderat (l. s. p. 130). Itaque minime laudandus hac in re uidetur Valerius Probus qui uerba tradita mutare non debebat. Sed latius patere uidetur temeritas critici. Nam ita parum circumspecte in speciosam hanc coniecturam irruit, ut ueram Catilinae imaginem dilueret. Neque enim, id quod Fridericus Kritzius (C. Sallusti Crispi opera quae supersunt, Lips. 1828 I p. 29) iam obseruauerat, insipiens fuit ille neque temere loquax quod Valerius Probus uoluit, sed magna pollebat persuadendi ui, sicuti Sallustius ipse testatur orationibus quas ab illo habitas fingit c. 20 et 58 operi insertis.

Iam agendum erit de uersibus Aen. VIII 405/406 ‘optatos dedit amplexus placidumque petiuit coniugis infusus gremio per membra soporem’. Atque imitatus est Vergilius hoc loco Lucretii praeclaros uersus prooemii 33 sqq.:

in gremium qui saepe tuum se
reicit aeterno deuictus uulnere amoris,
35 atque ita suspiciens tereti ceruice reposta
pascit amore auidos inhians in te dea uisus,
eque tuo pendet resupini spiritus ore.

Nec te fugiet uersum Vergillii paulo superiorem (394) ‘tum pater aeterno fatur deuinctus amore’ factum esse ex exemplo Lucretiani 34, similiter Vergilianum (633) ‘tereti ceruice reflexam’ ex Lucretiano 35 ‘tereti ceruice reposta’. Quo Vergilius cum Lucretio consensu comprobatur lectionem ‘coniugis infusus gremio’, quibus verbis Vergilius reddidit Lucretianam imaginem ‘in gremium qui saepe tuum se reicit’, ueram esse atque a Vergilio ita uerba esse relicta. Quo tamen de loco, quem ut recte intellegarent uehementer laborauerunt grammatici antiqui, quae fuissent sententiae interpretum, conlectae leguntur apud Seruium ad Aen. VIII 406: ‘CONIVGIS INFVSVS GREMIO hoc est ante concubuit et sic quieuit. Probus uero et Carminius propter sensum cacenphaton “infusum” legunt, ut sit sensus: dormiit cum coniuge dormiente, id est petiit soporem infusum etiam coniugis gremio.

alii ‘infusus’ legunt, ut significetur coisse illos et sic sopitos, et uolunt esse emphasin coitus: nam ‘infusum gremio soporem’ nihil esse dicunt. multi autem cacenphaton accipiunt, ne duo epitheta uideantur ‘placidum’ et ‘infusum’. alii figurate accipiunt ‘placidum per membra’ pro eo quod est ‘placidum membris’. Qui fuerint illi critici accuratius licet determinare, eorumque sententias ex temporum ordine quo altera alteram deinceps secuta sit referemus. Nam illum qui figurate accepit ‘placidum per membra’ pro eo quod est ‘placidum membris’ intellegitur fuisse Cornutum ex iis quae apud Gellium scripta sunt IX 10₅₋₆: ‘Annaeus Cornutus . . . in secundo . . . librorum quos de figuris sententiarum composit, . . . cum genus hoc figurae probasset et satis circumspecte factos esse uersus dixisset, ‘membra tamen’, inquit, ‘paulo incautius nominauit’; unde id quoque cognoscitur Cornutum fuisse primum qui cacemphati suspicionem moueret. Contra quam reprehensionem defensor exstitit Probus, sed crimine poetam purgaturus modum non seruauit. Nam docuit ita poetam non de concubitu cogitauisse, ut coniugem dormientem significasset. Quam sententiam ut probaret, uerba Vergilii quae obstat uiderentur, mutare non ueritus ‘infusum’ legere precepit, ut esset sensus: ‘Volcanus petuit soporem infusum etiam coniugis gremio’. Contra Valerii Probi castigationem uerba et sensum defendit tertius interpres, cuius sententiam seruauit Seruius auctus: ‘alii “infusus” legunt, ut significetur coisse illos et sic sopitos, et uolunt esse emphasin coitus’. Quem criticum eundem esse atque auctorem capitis Gelliani IX 10 ex eo intellekeris, quod affirmauerat ille interpres Seruanus uerba Vergiliana emphasin esse coitus. Nam figurae emphasis uim atque naturam et alii declarauerunt et Quintilianus VIII 2, 11: ‘Possunt uideri uerba quae plus significant quam eloquuntur in parte ponenda perspicuitatis; intellectum enim adiuuant. Ego tamen libentius emphasis retulerim ad ornatum orationis, quia non, ut intelligatur, efficit, sed ut plus intelligatur.’ Quam declarationem si consideraueris, tibi persuadebis tali emphasis excusatione Vergiliana uerba defensa esse ab illo Gellii auctore, qui laudat Vergilium quod Volcanum et Venerem iunctos mixtosque iure coniugii, uercunda quadam translatione uerborum cum ostenderet demonstraretque, protexerit ipsumque concubii secretum euidentibus quidem ac tamen non praetextatis uerbis designauerit. Unde efficitur deceptos esse Paulum Kretzschmer (de auctoribus A. Gellii grammaticis 1860 p. 91) nec

non qui hunc secutus est Carolus Hosius (praef. edit. Gell. p. XL), qui disputationem illam Gellianam ad Probum tamquam auctorem retulerunt. Neque recte Henricus Nettleship (Americ. Journ. of philol. IV [1883] 405) de Asconio cogitauit, si quidem post Berytum fuit ille criticus Gellianus et Seruanus, qui Probi emendationem ‘infusum gremio soporem’ ‘nihil esse’ pronuntiauisset.

Valerius igitur Probus, sicuti in Sallustio, quo magis laus figurae contrapositi eluceret, uerba historici mutare non dubitauerat, nunc prorsus eadem usus ratione, ne uitium cacemphati in Vergilio esse uideretur, ‘infusum’ legere paecepit. Qua in re quamuis peruerse functus esset officio diligentis critici, tamen, si grammaticam respexeris rationem, non leuiter rem absoluit. Nam paeclare censebat dici posse: somnum gremio infundi tamquam liquorem, et pruae criticus ille eum in hoc reprendit; siquidem Persius (sat. 5, 56) dixit ‘hic satur inriguo manult turgescere somno’; ubi commentator addidit: ‘ut Vergilius dixit somno irrigari corpora’, uersum Aen. III 511 intellegens ‘fessos sopor inrigat artus’. Praeterea ne ut criticus quidem omnino temere rem expediuist. Nam testimonio Seruui ad Aen. I 44 et X 303 constat Valerium Probum, aemulum hac in re Aristarchi institutorum disciplinaeque, in existimandis uerbis Vergilii uniuersam poetae consuetudinem respexisse. Atque exstant re uera simillimi quidam uersus Aen. I 691, quibus uti potuit Probus tamquam interpretationis suae exemplo argumentoque:

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Inrigat et fotum gremio dea tollit in altos etq.

Atque re uera Probum hos uersus considerauisse nescio an comprobetur adnotatione Seruui aucti, quae aperte ad Probum deducit auctorem: ‘INRIGAT infundit: proprie quia et somnus sic pingitur quasi cornu infundat’. Nam praeter illud ‘infundit’ explicationis loco positum, Valerium Probum ostendit uocabuli ‘quasi’ usus, quod instar Graecae particulae ὡς Probus adhibebat non in comparanda re satis simili, sed prorsus in explicandis rebus, cf. p. 50. Denique auctorem adnotationis Seruianaee inde agnoscas, quod ex celebris cuiusdam picturae similitudine atque exemplo suum de uerborum usu iudicium conformat, perinde ac Probus ‘tempore’ legit ad Aen. I 44 (uid. infra) et emendationem suam ultro comprobat exemplo Capanei imaginis Ardeae in templo Castoris et Pollucis depictae. — Ad Aen. XI 830 iterum Probum τοὺς ἐνυπάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους

dispicientem deprendimus; nam hypallagen uoluit inesse in uerbis poetae. Cum uero hic *τρόπος* positus sit in figura illa 'RELINQVVNT', haec autem nullius hodie codicis testimonio confirmetur, recte quispiam cognita iam Berytii in emendandis scriptoribus ratione uoluntateque iudicauerit hoc quoque loco Probum suo arbitrio nouam lectionem commendasse. — Proximum est ut de uersu Aen. I 44 dicamus, ubi id quod Vergilius scripserat PECTORE, mutauit in TEMPORE nulla coactus necessitate. Quamquam argumenta quibus fretus uerba poetae tetigit — nam consuetudinem poetae respexit ex Aristarchi institutis, historias obseruauit ex Dionysii Thracis praecepto — adsumpta erant ex optimae disciplinae officina, nec tamen hactenus ualebant ut uerba mutanda esse euincerent. — Quod Aen. VII 773 PHOEBI-GENAM posuit, praeclare eum ratione et uia usum ueram figuram restituisse apparet collato uersu Aen. XII 402 'Phoebi potentibus herbis' (Ribbeck prol. 139). — Deinde quod Aen. X 173 TRECENTOS subdistingui uoluit, id eo consilio eum fecisse apparet ut exprimeretur figura 'epitheti ab euentu', cuius exemplum Charisius GL I 274, 9 K attulit (Aen. II 22) 'insula diues opum Tenedos'; cf. John Leverett Moore, Servius on the tropes and figures of Vergil, Baltimore 1891 p. 18. Atque quo melius declaretur Probi uoluntas in distinguendis his uerbis, apte conferantur uerba Quintiliani VIII 6, 43: 'Sunt autem quibus non uideatur hic omnino tropus, quia nihil uertat. Necessus est semper, cum idem appositum, si a proprio diuiseris, per se significat et facit antonomasiam. Nam si dicas 'Ille qui Numantiam et Carthaginem euertit': antonomasia est; si adieceris 'Scipio': appositum. Non potest ergo esse iunctum.' — Ad Aen. X 539 Aemilius Asper recte intellexerat non agi de armis bellicis (cf. X 170 ... insignibus armis), quae sane non congruebant sacerdoti, sed arma dicta esse ampliore quodam significatu, ad quem illu-strandum posuit exemplum Sallustii (II 63 Maur.) 'equo atque armis insignibus' quae eadem esse intelleguntur atque arma equestria Liuui 35, 23; et cf. Seru. ad Aen. I 177 CEREALIA ARMA. Probum uero, cum 'arma' sacerdotibus congrua esse negaret, apparet reconditiorem illum quidem, sed usum uere Latinum uocabuli 'armorum' non nouisse. Itaque praeter audaciam qua uerba tradita poetae temptauit et ALBIS posuit, notanda est imperitia grammatici qua ueram uerborum sententiam assequi non ualuit; neque Otto Ribbeck Probi lectionem textui inserere debebat (proleg. 140 'egregia emendatio'). — Ad Aen. XII 605 Probus ratione

ac uia usus uerba poetae restituisse sibi uisus est comparata poetae consuetudine cum illa recentiorum (*τῶν νεωτέρων*). Qua in re Aristarchae disciplinae pracepta eum secutum esse supra dictum est (p. 60) nec non supra monuimus (p. 45) Probum uerborum tempora quibus esse coepissent obseruauisse, neque tamen hac in quaestione diligenter operam nauauisse. Quid? quod Sallustium uocabulum nouauisse affirmauit quod suis demum temporibus innotuerat (p. 57)? Sic nunc quoque non feliciter res grammatico successisse uidetur. Nam non debebat sic pronuntiare: neotericum erat ‘flauos’, ergo bene ‘floros’, uel quod idem ualet in arte critica ‘ergo Vergilius scripsit floros’. Neque quidquam proficit illa exemplorum silua, quamuis diligenter ac circumspecte sint ex tragicorum ueterum usu adsumpta; nam unum illud quod oportebat, non demonstrauit: Vergilium uocabulo illo quod est ‘flauus’ usum non esse. Quod Vergilium posuit IV 698 (uide Seru. adn.) FLAVVM CRINEM, IV 590 FLAVENTES COMAS. Qua re turbatam esse appareat omnem argumentationem Probi qua ‘floros’ legendum commendauerat. Neque ullius codicis auctoritate seruata est emendatio haec, ‘nam quod in Leidensi m. pr. et in Mente- liano pr. floros scriptum fuisse Heinsius coniecit, certum non est num antiqua memoria traditum an ex Seruio correctum’ (Ribbeck prol. 139), neque recte Otto Ribbeck contra codicum consensum una Valerii Probi auctoritate fretus, expulsa tradita lectione FLAVOS, FLOROS substituit.

Iam de crisi agendum erit, quomodo Probus in ea uersatus sit. Atque Aeneidis I 497 sqq. cum Homero ζ 102 sqq. comparisonem eum instituisse (Gell. IX 9¹²—17) secundum anasceues pracepta in rhetorum ludis sollemnia supra dictum est (p. 13); nam priorem uituperationis partem factam esse *ἐξ τοῦ ἀπιθάρου* et *ἐξ τοῦ ἀπρεποῦ* intelleximus, altera uero uituperationis pars quae maxime in uerbis improprie et infeliciter dictis uersatur, nititur loco *ἐξ τοῦ ἀσαροῦ τοῦ δηγγίματος*. Tertia quoque pars uituperationis quae tamquam *ἐπιλογος* omni disputationi subiecta est, qua lomnem florem totius loci Vergilium omisisse coarguit, ex Graeco quodam pracepto instituta esse uidetur, si quidem ipsa iudicii figura, quod ‘florem loci’ dixit, Graecum demonstrat exemplum, ueluti intellegitur ex Ciceronis epist. ad Attic. 16, 11, 1 ‘nostrum opus tibi probari laetor, ex quo ἄνθη ipsa posuisti quae mihi florentiora sunt uisa tuo iudicio’. Atque si quaeris num recte Vergilium uituperauerit grammaticus, concedendum esse uidetur re uera poetam Latinum ad exemplum

Homeri non secunda Musa suos composuisse uersus. Id quoque concedendum est non mediocris sane subtilitatis atque acuminis futurum fuisse, si sua omnino Minerua hanc instituisset criticus comparationem ipseque inuenisset singula uituperationis argumenta¹⁾. Quod uero hanc Valerii Probi disputationem praeformato schemate tamquam per designata uestigia currere intellectum est, censurae sane uis non infringitur, tamen mirum in modum diminuitur critici laus. — Subiungenda est Aeneidis IX 369 reprehensio, quem locum contrarium esse praecedenti uersui VII 600 Probus affirmauit. Quae reprehensio ipsa quoque ex rhetorum Graecorum paeceptis instituta est; etenim apud Theonem (Rhet. Graec. II 77, 18 Sp.) haec leguntur: ὁ δὲ ἐν τοῦ μαχομένου τόπος τοιοῦτος ἔστιν ὅταν δεῖξωμεν αὐτὸν ἑαυτῷ μαχόμενον τὸν μυθογράφον²⁾. τούτῳ δὲ χρηστέον οὐκ ἐν ἀρχῇ ἀλλ' ὅταν τι τῶν μέσων ἡ τελευταῖον ἀνασκενάζωμεν, ἔπειτα καὶ ἐναντίον αὐτῷ δεικνύωμεν τοῖς προειρημένοις. — Ipsius uero Graecae disciplinae uocabulum seruatum est ad Aen. XI 554, ubi Probus de historia qua Metabus pater filiolam hastae implicuisse perhibetur a poeta, adnotauit ‘ἀπίθανον πλάσμα’³⁾. Quod uocabulum Latine uersum facile agnoueris in iis quae apud Seruium tradita leguntur ad Aen. XII 83: ‘unde critici culpant hoc loco Vergilium dicentes “incongruum esse figmentum” (cf. Gell. IX 9, 15 in uituperatione illa ἐκ τοῦ ἀπιθάνου: ‘nihil . . . quae . . . congruat’). Apte hic conferantur quae William G. Rutherford, A chapter in the history of annotation, London 1905 p. 406 sqq. collegit ex scholiis Aristophaneis quae prope eiusdem generis sunt, ueluti ad Aues 698 ΟΥΤΟΣ ΧΑΕΙ κτλ.: — ἀτόπως μὲν καὶ ἀπιθάνως τῇ γενεαλογίᾳ κέχρηται. Atque profecto grammaticos Graecos has partes quae rhetoricarum institutionum propriae esse uiderentur ipsos quoque exercuisse, intellegitur ex Sexto Empirico adu. gramm. § 252 sqq. p. 655: Ἀσκληπιάδης δὲ ἐν τῷ περὶ γραμματικῆς τοία φίσας εἶναι τὰ πρῶτα τῆς γραμματικῆς μέρη τεχνικόν ιστορικόν γραμ-

1) cf. Ribbeck proleg. 143: ‘Luculento enim exemplo est quam eleganti et acri iudicio quid pulcherum et uerum esset persenserit’; cf. Henricus Georgii Die antike Aeneiskritik, Stuttgart 1891 p. 86.

2) quod dicit μυθογράφον, uide quod infra pronuntiat doctor ille p. 78₁₂: οἱ δὲ αὐτοὶ τόποι χρήσιμοι καὶ πρὸς τὴν διηγημάτων ἀνασκενήν τε καὶ κατασκενήν.

3) cf. Asclepiades apud Sext. Empir. adu. gramm. § 266: οὐ εἰ καὶ ἡ ὅλη τῆς ιστορίας ἔστιν ἀμέθοδος, ἡ μέντοι κρίσις ταῦτης γενήσεται τεχνική, διὸ ἡς γνωσκομεν τί τε φευδός ιστόρηται καὶ τί ἀληθῶς.

μοτικόν, δπερ ἀμφοτέρων ἐφάπτεται, φημὶ δὲ τοῦ ἴστορικοῦ καὶ τοῦ τεχνικοῦ. τριχῇ ὑποδιαιρεῖται τὸ ἴστορικόν· τῆς γὰρ ἴστορίας τὴν μέν τινα ἀληθῆ εἶναι φησι, τὴν δὲ ψευδῆ, τὴν δὲ ὡς ἀληθῆ. καὶ ἀληθῆ μὲν τὴν πρακτικήν, ψευδῆ δὲ τὴν περὶ μάθους, ὡς ἀληθῆ δὲ τὴν περὶ πλάσματα, οἷα ἔστιν ἡ κωμῳδία καὶ οἱ μῖμοι. τῆς δὲ ἀληθοῦς τοία πάλιν μέρη· ἡ μὲν γάρ ἔστι περὶ τὰ πρόσωπα θεῶν καὶ ἥρώων καὶ ἀνδρῶν ἐπιφανῶν, ἡ δὲ περὶ τοὺς τόπους καὶ χρόνους, ἡ δὲ περὶ τὰς πράξεις. τῆς δὲ ψευδοῦς τοντέστι τῆς μνημῆς ἐν εἴδος μόνον ὑπάρχειν λέγει τὸ γενεαλογικόν. ὑποτάσσεσθαι δὲ τῷ ἴστορικῷ κοινῶς φησι, καθὼς καὶ Διονύσιος, τὸ περὶ τὰς γλώττας ἴστορει γάρ ὅτι κορήνον ἀληθές ἔστιν ἡ ἀγαθόν, ὡσαίτως δὲ καὶ τὸ περὶ παροιμῶν καὶ δρων. — Praeter Probum uideas Aemilium Asprum hac in re Graecorum asseclam (fragm. L Wessner [Schol. Veron. ad Aen. X 559]): ‘neque temporis neque loci habet curam’, quocum iudicio conf. supra ‘ἡ δὲ περὶ τοὺς τόπους καὶ χρόνους’).

Proximum est ut de superuacuis dicatur siue uerbis siue sententiis. Atque ad Aen. II 173 Probo displicerat ‘salsus sudor’, quamuis Ennius eadem usus esset locutione, et superuacue epitheton positum esse ei uidebatur. Qua uia in hanc abierit sententiam intellegitur ex argumentatione defensoris, qui naturalia epitheta nusquam inhoneste a poetis locari contendenter. Nam epithetorum usus certis legibus adstringebatur ab antiquis, ueluti est apud Charis. GL I 273, 24 K (= Diom. 459, 8: cf. Donat. GL IV 400, 20 K): ‘epitheton est dictio uocabulo adiecta ornandi aut destruendi aut indicandi causa. ornat epitheton sicut ‘diues Ulices’, destruit sicut ‘scelerumque inuentor Ulices’, indicat sicut ‘Larisaeus Achilles’. Quam in distributionem cum epitheton ‘salsus sudor’ non caderet, appareat hac de causa a Probo notatum esse. Neque uero ii qui Probum refutauerunt, non inhoneste a poeta naturale epitheton positum esse dicentes, suo Marte rem egerunt, sī ipsi quoque praecepto quodam disciplinae nitebantur; etenim apud Quintil. VIII 6, 40 de epithetorum usu haec prouniantur: ‘eo (i. e. epitheto) poetae et frequentius et liberius utuntur; namque illis satis est conuenire id uerbo cui adponitur, itaque et ‘dentes albos’ et ‘umida uina’ in his non reprehendemus: apud oratorem nisi aliiquid efficit, redundant.’ Ex quo intellegitur Probum poetae et oratoris partes non discernentem nimis angusto quodam iudicio poetam reprehendisse in re poetae concessa. Ceteras Seruiani commenti adnotations quibus epitheta male posita notantur, contulit Henricus Georgii l. s. p. 560.

Integros uersus quasi superuacuos notauit Aen. I 21/22 et IV 418. Hunc cum expelleret, Aristarchi rationem secutus esse uidetur, qui (GL VII 534, 18 K) asteriscum ponebat ad eos uersus qui in hoc puta loco positi erant, cum aliis scilicet non recte ponerentur. Nam uersus Aen. IV 418 repetitus est ex georg. I 304. Sed Probus artis criticae usu tamquam obcaecatus non sensit laeta puppium a nautis coronatarum imagine acerbitatem mirum in modum augeri in tristi Didus oratione (Ribb. prol. 142). Ad Aen. I 21 haec leguntur apud Seruum: ‘et “hinc populum late regem belloque superbū uenturū excidio Libyae sic uoluere Parcas” in Probi adpuncti sunt et adnotatum “hi duo si eximantur, nihilo minus sensus integer erit, sed Vergilius amat aliud agens exire in laudes populi Romani.” Tradita est lectio ‘examinantur’, quam Scioppius emendauit. Nam quae posteri temptauerunt ‘omittantur’ uel ‘eliminentur’, ea displicant prae illa scriptura. Etenim non de eliminandis neque de omittendis uersibus agitur, sed de ‘eximendis’, cuius uocabuli inter grammaticos quae fuerit propria atque restricta quaedam significatio ex Gellio intellegitur in praecleara illa comicorum Latinorum et Graecorum comparatione II 23, 8: ‘uersus utrimque eximi iussi et aliis ad iudicium faciendum exponi. Menander sic . . . Caecilius sic . . .’ Itaque grammaticus adeo non de expellendis uersibus cogitauit, ut obseruauerit uersus 23 principium (*‘id metuens . . .’*) pertinere ad uersus 20 exitum, hunc uero sensus conexum infringi quodammodo insertis uersibus 21 et 22; quos si non respexeris (i. e. ‘si hi duo eximantur’) sensum integrum esse; neque tamen expellendos esse hos uersus, cum Vergilii consuetudo sit, ut ab argumento digressus exeat in laudes populi Romani. Quae si recte disputata sunt, Probi adnotatio non in terminis unius sententiae ‘hi duo . . . integer erit’ circumscribenda erit, sed usque ad ‘laudes populi Romani’ eam pertinere appetat. Haec igitur adnotationis ratio cernitur ut rem minus ommode in carmine comparatam tamen excusauerit consuetudine poetæ; ad quam ceteris quoque locis grammaticum iudicium suum conformauisse nouimus, ueluti ad Aen. I 44 et X 303 et IX 811 (*‘quamuis consuetudo sit Vergilio ista mutandi’*). Quem ad uersum haec obseruauit: (FESSOS QVATIT AEGER ANHELITVS) ‘commodius hic est “aeger” quam in quinto (432) ‘uastos quatit aeger anhelitus’. Qua in deliberatione sano usus est iudicio; nam recte hic ‘aeger’ dicitur anhelitus, cum ipse poeta supra dixerit p̄aeclusam esse respirandi potestatem, et anhelitus,

quamvis aeger sit, sufficere uideatur ad quatiendos artus pugnaffos, cum in quinto minus apte positus esse ‘aeger anhelitus’ uideatur, quippe qui omnino non labore certaminis praefocatus sit, neque si ‘aeger’ appelletur, sufficere uideatur ad percutienda uasta illa uiri membra. Itaque non recte eos iudicauisse appareat qui Probo obstiterunt et IX 811 scripturam ACER commendauerunt. — Recte denique (cf. Seru. ad Aen. V 871, VI init.) uersus quos Tucca et Varius in initio sexti posuerant, in quinti fine reliquit, ipsius Vergilii auctoritatem pluris faciens quam editorum arbitrium commentatorumque argumenta.

Iam agendum erit de ratione Probi qua uersatus sit in singulorum quorundam uerborum interpretatione. Atque deceptus est, cum sibi persuaderet Aen. X 303 VADI DORSO dictum esse pro ‘uado’. Nam Vergilium VADIS scripsisse et librorum consensus docet, et sensus optime sic procedens: nauis inficta ‘uadis’ (cf. Seru. ad Aen. I 112) pendet ‘dorso’ (= duriore harena; cf. Seru. ad Aen. X 303). Sed Probus in speciosam suam magis quam ueram sententiam inductum se esse ipse profitetur comparata consuetudine poetae, qui georg. III 436 similiter dixerit ‘dorso nemoris’ pro ‘nemore’. Criticae ergo disciplinae, sicuti supra iam uidimus (p. 61; 64), regulis nimis fretus a sano illo quod natura suadebat iudicium recessit et ipsa poetae uerba mutare non ueritus est VADI ponens pro VADIS. — Ad XI 566 adnotauit: ‘caespite καταχρηστικά¹⁾ pro campo, scilicet quod caespites gleba sit’ (cf. Seru. ad buc. I 68 ‘CAESPITE id est terra cum propria herba euulsa’). Neque diuersa est obseruatio facta de abusiua significatione (Seru. ad Aen. VI 473): ‘PRISTINVS prior. quod difficile inuenitur, nam de hoc sermone quaerit et Probus et alii’. Similiter ad Aen. IV 359 Probus obseruauit uerbum, quod est ‘haurire’, proprie non bene dici tamquam ‘percipere uocem’ (Seru.: ‘Probus ait “nemo haurit uocem”’) et ideo ueteres qua potissimum parte sensus perciperent adiunxisse. — Ad Aen. IX 373 (schol. Veron.) Aemilius Asper, grammaticus ille laude prudentiae atque acuminis Probo facile superior, de uoce ‘sublustrī’ subtilius quaesiuerauit; ad cuius quaestيونis naturam quo melius intellegatur, conferendus est Quintil. I 5, 65. Probus insolentioris uocabuli uim atque significatum apto exemplo in-

1) sic enim uerba emendauisse mihi uideor: CAESPITE Probus ait ‘caespite καταχρηστικῶς pro campo’, cum libri exhibeant: ‘Probus aut cespitate aut caespite pro campo’.

lustrauit ex Horatii carminibus. — Ad buc. VI 76 contra Cornuti uituperationem Vergilii uerba defendens significatu uocabuli ‘uexare’ accuratius enarrato ex sui aeui subsidiis atque doctrina¹⁾ grammatici officio egregie suffecisse uidetur. — Quod de origine et fide historiarum in carminibus Vergilii obuiarum quaerebat (cf. Macrob. Sat. V 22, 9), cum Alexandrinorum tum Cornuti uestigiis insistebat de quo Macrobius (Sat. V 19, 2): ‘hanc Vergilius non de nihilo fabulam fingit, sicut uir alias doctissimus Cornutus existimat qui adnotationem eiusmodi adposuit his uersibus “unde haec historia, ut crinis auferendus sit morientibus, ignoratur, sed adsuevit poetico more aliqua fingere, ut de aureo ramo.” haec Cornutus.’ A cuius sententia Berytius ita diuersus erat²⁾, ut eam quam ille concederat poetae fingendi licentiam non concederet (cf. Seru. auct. ad Aen. XI 554 ‘ἄντιθανον πλάσμα’), sicuti non a parte eorum stetit qui poetis liberiorem quendam epithetorum usum concederent (p. 64). Praeterea si uno loco Probum adnotasse constat nescire se unde historia sumpta esset, ubique eum adnotasse consentaneum est unde historiae uel fabulae paulo reconditiores essent haustae. Quod si uerum est, stat Iulii Steup (p. 112) argumentatio, hoc multum ualere ad refellendam sententiam eorum (conf. Kuebler I. s. p. 31 sqq.) qui commentarium illum in Vergilium non recte Probi nomine ornatum esse in codicibus pronuntiarent eam ob causam, quod indoles huius commentarii mythologicis geographicis physicis rebus referti parum conueniret cum Valerii Probi studiis. Denique quam late propagauerit Probus interpretis officium, testis est adnotatio schol. Bernens. ad georg. I 403; quam adnotationem, si quidem apud Festum p. 197, 8 leguntur: ‘Oscines aues Ap. Claudius (corr. Willers³⁾, Claudioianus *libri*) esse ait quae ore canentes faciant auspicium, ut coruos cornix noctua’, Valerius Probus ex Ap. Claudii libro uel potius ex Verri Flacci thesauro adsumpsit, sicuti non semel eum fecisse demonstrabitur, cum de Gelliano capite II 6 agendum erit.

1) Ex nostri aeui grammaticis Probus sectatorem inuenit Vanicek (Etymol. Wörterb. d. lat. Sprache, Leipz.² 1881 p. 261) uerbum uexare tamquam intensuum ad uehi referentem; sed conf. Aloysis Walde, Latein. Etymol. Wörterbuch, Heidelberg 1906 p. 668.

2) Ceterum Probus Cornuto aduersatur (cf. Rudolfus Reppe, De L. Annaeo Cornuto, diss. Lips. 1906 p. 35) ad buc. VI 76, georg. III 4, Aen. X 314 (cf. Gell. II 6), georg. I 277.

3) Henricus Willers, De Verrio Flacco glossarum interprete, diss. Hal. 1898 p. 16.

Restat ut de Probo Terentii interprete dicamus. Quo in genere iterum grammaticus agnoscitur qui quod praecipiebant Aristarchei poetam ex ipsius poetae ratione explicandum esse, per omne fas ac nefas sequatur. Nam in Terentii uerbis interpretandis remoto exemplo Graeco Terentii tantummodo rationem atque Romanorum cultum et mores respiciebat. Nam primum Eunuchi uersum, quem ad uerbum ex Menandi fabula expressum esse adnotatio Donati docet quemque non distinctis uerbis Persius (Sat. 5, 172) in suo exemplari legerat, distinxit ita ut exemplum Graecum prorsus neglegeret. Quid uero uoluerit Valerius Probus cum ita uerba Terentii distinguueret¹⁾, nempe ut rhetorican partitionem designaret, intellegitur ex iis quae Eugraphius (Aeli Donati quod fertur commentum Terenti rec. Paulus Wessner vol. III Lips. 1908 p. 94) adnotauit: 'QVID IGITVR FACIAM haec deliberatiua duas partes in propositione deliberantis continet <et> ex utraque parte argumenta, sed eo hic seruus accedet, ut possit alteram partem persuadere. deliberatiua utique ab honesto et ab utili et ab eo an fieri possit et an necesse sit semper diuiditur. haec igitur an seruata sint considerare debemus. ac primo propositio est QVID IGITVR FACIAM, quae communis est ad utramque partem. deinde incipit una pars NON EAM. adiecit causam cur ire debeat NE NVNC QVIDEM CVM VLTRO ACCERSOR. deinde est alterius partis propositio'²⁾. Praeterea subtilitatem disputandi in hoc Eunuchi exordio iam Cicero obseruauerat (de nat. deor. III 29, 72). Porro ad enarranda uerba Phormionis I 1, 15, ubi de initiandis pueris Graecis agitur, Probus Romanorum confert instituta et religiones. Qua in re deceptus est grammaticus, quem longe superabat iudicio et Latinarum litterarum prudentia alter ille criticus cuius sententiam Donatus subiecit: 'sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur initii Samothracum a certo tempore pueros imbui more Atheniensium: quod ut in palliata probandum est magis'. Quem criticum Aemilium Asprum fuisse Paulus Wessner (Asp. p. 23 sqq.) docuit. Ad Adelph. III 2, 25 de uerbis singulis personis adsignandis egit; qua in re simili arguento ductus esse uidetur atque cum ad Phorm. V 9, 16 quaereret an matrona tam familiariter recte

1) De consilio atque ratione distinguendi quae apud ueteres ualuisset, post Iulium Steup (l. s. p. 21) disputauit Robertus Kaner (Wiener Studien XXII [1900] p. 60 sqq.).

2) Eugraphius etiam ad Phorm. I 1, 15 interpretationem Probianam seruauit.

diceret alieno. Nam hoc fuit paeceptum disciplinae quod tradit Quintil. I 8, 17: 'praecipue uero illa infigat animis, quae in oeconomia uirtus, quae in decore rerum, quid personae cuique conuenerit'.

Postquam ex omni Probi memoria ea quae ad recensendos interpretandosque scriptores pertinerent, examinauimus, summam iudicii proponere placet. Atque primum, ut in uniuersum grammatici studium declaretur, sicuti ueteres scriptores sanctissimos pronuntiabat incorruptae Latinitatis auctores, ita ueterum Latinorum fabulas sui iuris esse iudicabat et uerba (Eun. I 1, 1) et res (Phorm. I 1, 15) non ex Graeci exempli ratione, sed ex Romanae gentis usu atque condicione interpretabatur. Qua in re, quod uerba dicebat, non ita uituperandus esse uidetur; quod uero mores fabularum Terentii inlustrabat comparatis Latinae gentis institutis, interpretis officio non minus peruerse functus est, quam si nostri aeui grammaticus condiciones fabulae Macbeth in uernaculum sermonem translatae aperire uoluerit ex Germanae gentis consuetudinibus. Deinde obseruandum est Probum interpretationis officium adeo non intra grammaticas obseruationes comprehendisse, ut nullius fere disciplinae genus non attingeret (cf. Maximilianus Dorn l. s. p. 10). Denique in tractandis scriptoribus maxime se conformabat cum institutis Aristarchi tum regulis artis et grammaticae et rhetoricae. Quas cum sequeretur, multa quae ab aliis reprehensa erant, recte a poeta posita esse intellexit (Verg. buc. VI 76 'uexare'; Aen. IX 371 'sublustris'), nonnulla egregie emendauit (Aen. VII 773 'Phoebigenam'). Tamen mirum in modum diminuitur laus grammatici ideo quod fastidiosa quadam ratione implicitus ad doctrinam magis quam ad proprium iudicium plerumque se accommodabat. Unde in duos maxime deducebatur errores, alterum ut perpetuitate et constantia regularum nimis fretus uel peruerse uerba intellegereret (Aen. X 303 'uadi dorso') uel in aestimando poeta plane molestus esset (Aen. II 173; IV 418; XI 554; cf. Henr. Georgii l. s. p. 503), alterum, quod grauissimum est praesertim in editore, ut tropos exploratus tradita scriptorum uerba audacissime tangeret atque mutaret, eam denique in se admitteret impudentiam, ut propriae sententiae confirmandae causa uel nouam substitueret lectionem, sicuti fecit ad Aen. VIII 406. Ex eo intellegitur quantum discesserit Valerius Probus a prudentia Aristarchi quem tamen sibi proposuerat magistrum, cuius in tuendis scriptorum uerbis religionem K. Lehrs (de Arist. stud. Homer. ed. III p. 354;

357 sqq.) exposuit collatis exemplis, in quibus egregium est illud (schol. ad I 222) ‘ἄλλ’ δύως δὲ Ἀρισταρχος ὑπὸ περιττῆς εὐλαβεῖας οὐδὲν μετέθηκεν ἐν πολλαῖς οὐτως εἰράν φερομένην τὴν γραφήν.’ Corrigatur igitur necesse est duplex illa quae circumferebatur opinio Valerii Probi Berytii ut acerrimi iudicii grammatici et curiosi editoris qui uerba scriptorum seruauerit prudenti diligentia; neque recte eum Theodorus Mommsen (Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1853, 130) Immanuelem Bekker Romanum appellauit. Quod si recte disputauimus, nescio an feliciter euentum sit, quod recensionis Probiana, cuius in commentariis seruatae sunt reliquiae sat multae, in ipsorum scriptorum codicibus uestigia manserunt exigua.

De Valerii
Probi vita
Vergiliana

Seruata est codicibus nonnullis quinti decimi saeculi (uid. infra) uita Vergilii commentariolo Valerii Probi in bucolica et georgica praeposita. De uitarum Vergilianarum auctoribus nouissimus egit Eduardus Norden (Rh. M. 61 [1906] p. 171 sqq.) qui de sententiis retulit quae de illa uita prolatae erant; tum ipse falso ad Probum referri uitam demonstratus duobus potissimum argumentis nisus est, cum contenderet earum quae hic traderentur nullam rem alio loco non inueniri, a compilatore igitur quodam uitam facile undique conflari potuisse; deinde ea quae apud unum Probum traderentur singularia, ueluti illa (p. 323, 5 H) ‘milia passuum XXX’, falsa esse, qua in re aperte agnosceretur falsarius nimia diligentia ueritatis speciem capessens; denique rebus uerbisque perpensis uitam conscriptam esse pronuntiat temporibus Gaudentii et Porphyrii. Qua tamen disputatione quaestio absoluta esse non uidetur. Nam cum tradita sit uita integra in codicibus Valerio Probo grammatico primi saeculi attributa, deinde cum per insequentium saeculorum litteras dispersae legantur partes quae in unum coactae in uita Probiana exstant, iudicabimus, id quod natura rerum suadet, posteriores pro sua quemque parte ex Probiana quae perhibetur uita sua sustulisse neque accedemus ad Eduardi Norden sententiam, prae-
sertim cum rem non probauerit doctissimus uir certis argumentis. Neque recte procedit, quod et Focas et Probiana uitae auctor Vergilii matris Pollae nomen ex aliqua Vergiliana uita quae perierit sumpsisse dicuntur (l. s. p. 172). Etenim Probus re uera uitam Vergilii scripsisse censendus est ideo quod recensionem curauit carminum Vergilii ex ratione Alexandrinorum institutam. Atque Suetonii uita Vergiliana adhuc exstat ex libro de poetis translata in commentum Donati (Suet. reliq. p. 400 sqq. R). Post

Probum uero et Suetonium omnino grammatici (nam a grammatica disciplina hanc de qua quaeritur uitam seiungi non posse infra docebatur) nouas poetarum uitas conscripsisse non uidentur ideo quod posteriores commentatores uitas Suetonianas in suum usum conuertere solebant. Atqui post memoriam Vergilianaे uitae sub finem primi saeculi bis collectam et a Valerio Probo et a Suetonio Tranquillo, non intellegitur quo alio ex fonte aliquis quinti saeculi scriptor Pollae matris nomen sumere potuerit. Probus uero cum ex ratione Alexandrinorum accurate uitam conserberet, sicuti Persii matris nomen Fuluiam Sisenniam posuit, ita Vergilii matris nomen afferre debebat; et re uera hodie Pollae nomen legitur in Vita Vergiliana M. Valerii Probi. Denique hanc Probianam, quae in codicibus perhibetur uita, ex Suetoniana excerptam esse demonstrari posse iam Fridericus Leo negauit (griech.-röm. Biogr. 1901 p. 13), ita ut recte Gustauus Körtge l. s. p. 195 [9] uitam illam Vergilii de commentario Valerii Probi sublatam Suetonio uetustioremem memoriam praestare contenderit.

Sed id ipsum negatur, recte in codicibus uitae et commentario additum esse nomen M. Valerii Probi¹⁾. De commentario cum infra disputatur simus, nunc de uita agendum erit. Atque certum indicium utrum recte ad Probum relata sit necne, inde petendum erit, ut uita qualis legitur conferatur cum uita Persii quam ad Valerium Probum recte relatam esse supra dictum est (p. 56). Atque consimilis est Persianae uitae accurata designatio trium nominum, diei quo natus sit quibusque consulibus, praeterea additum nomen matris, patris denique nomen et condicio (p. 323₃₋₅ Hagen). Traditur studiorum cursus (323₆), sedulo affertur quorum uirorum usus sit praesidio amicitia familiaritate (323₈₋₁₃). Afferuntur scripta et quis ea ediderit (323₁₂₋₁₅), perhibentur census et heredes (323₁₅₋₁₈), narratur quo loco decesserit, quot annos natus (323₁₆₋₂₁). Quae omnia cum similiter eodemque fere ordine in Persii uita traduntur tum indicant hanc uitam referendam esse ad grammaticam disciplinam. Eodem deducit elocutionis genus. Sane ea quam in Persianae uita miramur curiosam quidem sed ab omni eloquendi artificio remotam speciem, hic non eodem modo conspicua est, tamen abruptam quandam et concisam uerborum iuxtapositionem facile agnoueris, ueluti 323,5 ‘tenui facultate nutritus’, 323₈ ‘postea

1) De Probi uitae Vergilianaē memoria per medii aei saecula propagata egit R. Sabbadini, Le biografie di Vergilio: antiche, medievali, umanistiche. (Studi ital. di filol. class. XV [1907] 197 sqq.).

restitutus', 323₉, 'quibus in Bucolicis adulatur'. Neque illa Alexandrinorum tali in genere proprietas deest, uerba dico reliquae enuntiati comprehensioni preeposita, ueluti 323₁₁ 'uixit', 'secutus', 323₁₃ 'scripsit', 323₁₆ 'decessit'. Accedit quod sola hac de qua quaerimus uita recte traditi sunt poetae anni (LI), cum Donatiana uita falso LII perhibeat (E. Norden l. s. p. 173 adn.). De Pollae matris nomine supra dictum est p. 70. Quae si recte disputata sunt, uitae principalem formam referendam esse apparent ad grammaticum qui Alexandrinorum rationem secutus sit ipseque bona doctrina auctus. Principalem dico formam, nam memoriam hic et illic turbatam, uerba uexata esse uir sani iudicii non negabit; ueluti illa, quae de bello Mutinensi et de bonis Vergilio restitutis afferuntur, deprauata esse docent ceteri loci quibus grammatici his de rebus tradiderunt (uita Seruui p. 2, 1 Thilo; praef. Seru. ad buc. p. 2, 25 Thilo; Donat. uita Verg. p. 59, 2 Reiff.; Probi praef. p. 327, 28 Hagen; Focas p. 71, 14 Reiff.). Tum illud 'centies sestertium' quod poetam ab Augusto absoluta Aeneide accepisse uita Probiana tradit, Vergilium ex liberalitatibus amicorum accepisse neque plura praeterquam possedisse Donatus perhibet (p. 57, 12 Reiff.); denique nec Aeneis bello Cantabrico (a. 25 a. Chr.) copta est neque patria Vergilii XXX milia passuum a Mantua abesse recte in Probi uita tradita esse uidetur (E. Norden l. s. 175 sq.). Quid inde statuendum est? Argumento idoneo uti nobis uidemur eo quod suppeditauit Georgius Thilo qui, cum de Probi commentario dissereret (Fleckeis. Jahrb. 149 [1894] p. 293), omni uitiae ratione considerata iudicauit hanc quallem nunc legimus uitiae formam exceptam esse ex preelectione grammatici cuiusdam, memoriae tantum subsidiis de uita poetae disserentis. Quem Probum esse iis fretus quae supra disputata sunt de ratione Berytii quaeque Suetonius tradidit de genere eius docendi, recte sibi persuaserit quispiam.

De com-
mento in
Vergilium

Valerii Probi in bucolica et georgica Vergilii commentarius seruatus est codicibus tribus Vaticano 2930 Parisino 8209 Monacensi lat. 755, quos ex codice Bobiensi anno 1493 a Georgio Merula inuento descriptos esse Theodorus Mommsen docuit Rh. M. 16 (1861) p. 138. Accedit editio I. B. Egnatii (Venetiis 1507) ex illo cod. Bobiensi expressa¹⁾ (E. Lommatzsch, praef.

1) Otto v. Gebhardt (Centralblatt f. Bibliotheksw. V [1888] p. 389) dubitauit num Egnatii codex idem esset atque ille a Georgio Merula 1493

Append. Seruiana, Lips. 1902 p. VIII). Atque controversia est inter nostri aei grammaticos rectene hic commentarius ad Berytium referatur.

Otto Iahn editioni Persii 1843 praefatus (p. CXVI) et commentum integrum et uitam Probo Berytio vindicauit; Henricus Keil (Symbol. phil. Bonn. I 93), Augustus Reifferscheid de Suetonii reliquiis disserens p. 398 sqq., tum Otto Ribbeck (Fleck. Jahrb. 1863, 351 sqq.; Proleg. ad Verg. 163), Hermannus Hagen (Fleck. Jahrb. Suppl. IV [1861—67] p. 682) eruditionis et adnotationum Probi reliquias recte agnosci contenderunt. Alexander deinde Riese de hoc commentario disserens a. 1862 omnino eum Probo abiudicauit (p. 28), quod aliis prorsus rebus explicandis studuisset Berytius atque in illo prolatae essent. Iulius nero Steup qui a. 1871 de Probris grammaticis disputauit, commentarium Probo minori quem sibi finixerat, attribuit (p. 99 sqq.). Decennio post Bernardus Kuebler pugna redintegrata iam Probi memoriam se profligaturum esse confidebat. Alexandrum secutus Riese commentarium a Probo scribi non potuisse contendit (l. s. p. 30), quod interpretationes uerborum ineptiores essent quam ut Berytii praestanti doctrinae attribui possent; Probum denique mythographicis philosophicis geographicis rebus quibus maxime omne refertum esset commentum, omnino non operam dedisse sibi persuaserat (p. 32). Georgius porro Thilo (Fleck. Jahrb. 149 [1894] p. 289 sqq. p. 421 sqq.) uarias diuersorum temporum atque scriptorum partes agnoscendas esse iudicauit, quorum in fontes inquisiuit condicionesque examinauit ceteris maxime qui exstant in Vergilium commentariis in comparationem uocatis; qua in deliberatione praefationem, non mediocris sane doctrinae specimen, idcirco Probo abiudicandam esse censebat, quod ab optimo genere dicendi nimis remota esset.

Iam intellegis in eo omnem illorum uirorum disceptationem uersatam esse, quod commentarii natura Berytii rationi non accommodata esse uideretur: quam quaestionis summam aperte definiteque expressit Otto Ribbeck (Proleg. ad Verg. p. 163; cf. Suringar, histor. critica scholiast. Latinorum II [1834] p. 15). Postquam uero cognouimus Valerium Probum interpretem Vergilii fuisse omnino non eximiae illius quae nunquam deficeret doctrinae aut praestantis cuiusdam iudicii, studiorumque eius rationem

inuentus. Codicem Bobiensem non a Merula, sed ab amanuensi eius Georgio Galbiate inuentum esse Remigius Sabbadini docuit (Le scoperte dei codici latini e greci ne' secoli XIV et XV, Firenze 1905 p. 157).

nullis fere terminis circumscriptam esse, nec scriptorem fuisse optimae perpolitaeque Latinitatis, profligata hac quae illos tenebat Berytii opinione argumentationis quoque fundamentum subtractum esse uidetur. Id quoque obseruandum est hunc Vergilianum commentariolum non aestimandum esse eadem mensura qua aestimabantur libri ab ipso scriptore cura ac diligentia editi; nimis *τὰ συγγράμματα* Didymus distinguebat a genere *ὑπομνημάτων* (K. Lehrs, de Arist. stud. Hom. 8 p. 22). De istiusmodi *σχολικῶν ὑπομνημάτων* (sive a magistro ipso in usum discipulorum conscripta, sive ad professoris scholas a discipulis excepta erant) fide ac doctrina cum disputaret Lehrs, apte contulit Galeni uerba quibus ipse confessus est, cum in usum sectatorum (*φίλοις ἢ μαθηταῖς*) scriptores commentatus esset, *τὰ γοῦν τοῖς εἰρημένοις γεγραμένα πρόδηλον δήπον μήτε τὸ τέλειον τῆς διδασκαλίας ἔχειν μήτε τὸ διηρωιζωμένον*. Et omnino si quae res tradita opinioni nostrae non accommodata esse uidetur, prudentis existimatoris erit, priusquam rem traditam tangat, uidere an ipsius opinio corrigenda sit. Sicuti in re plane simili exemplo Didymi edocti sumus, cuius Demosthenici commentarii ratio ita non respondet ei imagini Didymi quam antea sibi finixerant nostri aei grammatici, ut editores adfirmare non dubitauerint, nisi nomen Didymi subscriptum esset, neminem de eo tamquam auctore cogitaturum fuisse (Didymos, Kommentar zu Demosthenes ed. H. Diels et W. Schubart, Berl. Klassikertexte 1904 praef. p. XII sqq.).

Nuper Fridericus Marx (Proleg. ad Lucilium [1904] p. LXXII sqq.) cum de origine commentarii quaereret, hunc descriptum esse docuit e codice Vergilii adnotationibus exornato quae Valerii Probi nomen retulissent in indice libri ut auctoris. Quo factum esse ut non unius grammatici doctrina exhibetur in eo quem nunc legimus commentarium, sed multorum per saecula adnotationes simul adscriptas esse; neque uno contentum fuisse exemplari illum qui haec composuisset excerpta, sed complures commentarios sectatorum Probi adhibuisse, ita ut nunc legeretur ad eclog. III 40 'in alio sic'; cf. ad georg. I 244; II 37. In toto autem libro conspicuum esse non modo insignem auctoris doctrinam, sed etiam tale quoddam elocutionis genus ex quo appareret librum non esse scriptoris, sed doctoris modo qui ad rem preferret eruditionis insigne specimen, modo ea quae nihil ad rem, sed docendis essent pueris apta et satis uulgaria. Ita fieri ut prorsus agnoscere nobis uideamus tale quoddam disciplinae genus quo Probum usum esse cum sectatoribus in paelegendis

poetis Suetonius traderet. Praeterea quae ad eclog. VI 31 de quattuor elementis legerentur, eorum plane similia Probum reuera tractasse ad Aen. X 18, quo loco physici a Probo perinde memorati essent atque in commentario ad eclog. VII 61. Probi uero ipsius rationem agnosci in eo quod allata essent uerba scriptorum addito genetiuo, ueluti 'saturarum', quo more praeter Probum scholiastarum Vergilianorum usus esset nemo. Denique auctoritatem Probi commendari eo argumento quod nouissimus qui bis appellaretur grammaticus esset Aemilius Asper, contra quem Probus pugnasse traditus esset aliis locis. Quae sententia cui omnino assensus est Eduardus Norden (l. s. p. 171) non probata fuit Paulo Wessner qui in ea quam supra diximus disquisitione conlata tota Aemilii Aspri memoria huius grammatici tempora et studiorum rationem definiuit. Cuius nomen cum bis legeretur, sicut dictum est, in commentario Vergiliano (p. 337, 25 et 341, 18 H) de auctore huius commenti et temporibus dicendum erat. Atque primum ipsum Probi nomen ita parum certis testimoniis confirmatum esse dixit, ut dubitari liceat num omnino in codice Bobiensi inscriptum fuerit. Deinde commentarium ipsum dum examinat commonuit uitam et praefationem communi consensu uirorum doctorum a Berytio remotas esse, commentarium ipsum uero adeo non integrum esse unius scriptoris opus, ut dispersis et raris et parum cohaerentibus adnotationibus insertae sint duae maioris ponderis partes ab ipso commentario certo alienae. Atque ipsam illam adnotationem ad eclog. VI 31 quae maxime Berytio attribui soleret, non praebere eximiae doctrinae nisi falsam speciem, compilationem esse qualem unusquisque grammaticorum facile congerere posset. Maxime autem quominus ad Probum commentarius referretur obstare uidebatur, quod bis occurreret nomen Aemilii Aspri. Cuius tempora ita definiuit Paulus Wessner, ut eum post Suetonium fuisse affirmaret ideo quod biographus eum non in numerum grammaticorum receperisset. Deinde in ipsius Aspri studia indagans duo potissimum in hoc grammatico animaduertisse sibi uisus est insignia, quorum alterum esset amor studiumque ueteris linguae Latinae, alterum ea disciplinae eruditionisque ratio quae Graecas Latinasque litteras eodem modo comprehendenteret quaeque maxime cerneretur in Gellio eiusque libro noctium Atticarum: quam rationem egregie conuenire uiro aetatis M. Aurelii imperatoris.

Sed Suetonius cum librum de grammaticis scriberet, adeo non omnes qui Romae essent uel fuissent quique de rebus

De Aemilii
Aspri tem-
poribus

grammaticis scripsissent, in suum librum recepit, ut professores tantum enumerauerit¹⁾). Ne Varronis quidem nomen occurrit apud Suetonium nec Nigidii Figuli; neque Plinium qui libros dubii sermonis conscripsit neque Cornutum Vergilii interpretem ante Probum fuisse tibi persuaseris, si unius Suetonii qui illos non nominauerit steteris testimonio. Itaque argumentum illud ad definienda tempora Aemilii Aspri petitum ex silentio Suetonii non stat²⁾). Deinde quod duae res cernuntur insignes in Aemilio Aspro, studium sermonis ueteris et Graecarum litterarum cum Latinis coniunctio, ea non ualent ut recte grammaticum ad alteram alterius post Chr. saeculi partem remittas, quippe quae eodem modo, atque melius, in Probo obseruentur. Nam ueterum scriptorum studium atque notitia sane Probum non defecerunt qui Varronem (Don. Phorm. I 1, 15), Aelium Tuberonem (Gell. VI 9, 11), Valerium Antiatem (Gell. VI 9, 12), Ennium (Gell. IV 7), Catonem (Seru. buc. VI 76) atque praesertim scaenicos poetas Naeuum (Prisc. I 541, 19; Charis. 198, 12), Pomponium, (Prisc. I 535, 20), Pacuuium, Accium (Seru. Aen. XII 605) in argumentatione afferre soleret et diligenter Sallustii operibus operam daret (Gell. I 15, 13; III 1, 1; Prisc. I 236, 11; Seru. Aen. I 441; Anecd. Helu. p. CLI). Porro Graecis litteris deditum facile agnoueris grammaticum Valerium Probum, qui Graeca uocabula plerumque argumentationi immisceret, quorum exempla pro exiguitate reliquiarum restant plurima (cf. quae de Probi sermone graecissante disputauit p. 49 sqq.). Porro Graecis litteris Graecorumque doctrinae sane studebat Probus qui post Senecae cauillationem (epist. 88, 39: ‘Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam et aetatem in syllabis conteram?’) Aristarchi instituta Romae redintegravit, qui commentatorum Homeri placita in suum usum conuertit (cf. p. 8), quem in interpretando Vergilio ubique a Graecae artis praeceptis profectum esse cognouimus, denique qui ad ipsum Homerum se retulit cuius laudem comparauit cum Vergilii iniqua imitatione (Gell. IX 9, 12 sqq.). Quam uituperationem factam esse supra docuimus (p. 13) ex ratione rhetoricae ἀνασκευῆς, uidelicet ut id maxime ostenderetur poetam nec locos nec tempora nec omnino condiciones obseruauisse. Iam intellegas quam aeque comparata sit illa quam instituit Aemilius Asper Vergilii cum Homero comparisonem (uid. p. 64) quae legitur in schol. Veron. ad Verg.

1) de grammaticis Latinis et de Suetonii libri ratione cf. p. 19 sqq.

2) cf. Ioannes Vahlen, opusc. acad. I 1907 p. 47.

Aen. X 559 (fr. L Wessner): ‘AVT GVRGITE MERSVM VNDA FERET》 Asp.: hoc quidem apud Homerum (Il. 21, 120 sqq.) de eo qui in flumine trahebatur, recte positum est, at de eo *(cuius iacet in)* campo corpus, si flumine *(mersum dicit)*, non est dictum ratione. Sic in quibusdam dum nimio stu^{dio} poeta ad Homerum trahitur, neque temporis neque loci habet curam.’ Itaque, quo omnis haec tendit disputatio, Aemilii Aspri studiorum ratio minime necessario deducit ad M. Aurelii imperatoris tempora, immo arte cum Probi doctrina coniuncta sunt qui priore saeculo docebat; atque caput Gellianum II 23 quod specimen uoluit esse Paulus Wessner eruditio*nis* illius aetatis Aurelianae propriae, tali nititur de comicorum Latinorum et Graecorum iudicio quale iam apud Quintilianum legitur X 1, 100. Itaque, sublata quoque illa opinione qua Asper, cuius nomen apud Suetonium non legeretur, post Suetonium fuisse censebatur, nihil impedit quominus Asprum aequalem dicamus Probi, id quod suadent annotationes plurimae ad Terentium et Vergiliū, quarum alterae ita comparatae sunt ut Probus Aspro, alterae ut Asper Probo oppugnet; ueluti Asper Probi sententiam correxit Don. Adelph. III 2, 25 (fr. I Wessner) uel Probi adnotacionem in suum usum conuertisse uidetur Seru. Aen. VII 543 (fr. XXXI W.). Probus uero Aspri sententiam impugnat Seru. Aen. X 539 (fr. XLIX W.) et maxime Schol. Veron. IX 373 (fr. XLII W.); nam duas adnotaciones casu tantummodo iuxtapositas esse (Wessner, Asp. 9) ne putemus obstat illud ‘aptissimum’. Atque cum constet maxime ex commento ad Terentium, Asprum Probi obseruationes cognouisse, haec uero Probi obseruatio talis sit, ut ea omnis quaestio quam Asper instituerat, absoluatur — nam Asper, si Horatiana*e* dictionis meminisset, uix de uoce ‘sublustris’ quaesiuisset (cf. Steup p. 69) — concedendum est Aspri quaestionem obseruatione Probi priorem esse. Iam concedas non recte commentarium in Vergiliū Probo ea de causa abiudicari, quod bis in eo occurrat Aemilii Aspri nomen.

Iam agendum erit de auctoritate nominis Valerii Probi commentario Vergiliano inscripti. Neque enim uno codice nititur Bobiensi anno 1493 inuento, cuius auctoritate perculta Paulus Wessner nomen Probi remouebat. Sane trium codicum Vaticanani Parisini Monacensis inscriptiones non ita inter se congruunt ut certa ratione concludere liceat Probi nomen ipsorum archetypo codici Bobiensi inscriptum fuisse; neque in librorum Bobiensium a. 1493 inuentorum indicibus (Sabbadini, Le scoperte dei codici

De auctori-
tate nomini
Probi com-
mentario in-
scripti

latini e greci ne' secoli XIV e XV, Firenze 1905 p. 160) hodie nomen Probi legitur. Tamen testimonium Egnatii qui expressis uerbis affirmauit se commentarium Probi excludisse ex codice manu scripto Bobii quondam a Georgio Merula inuento, eo deducit ut codicem illum Bobiensem qui in indice perhibetur continuuisse 'Trium eglogarum Virgilii enarrationes' eundem esse iudicemus atque Egnatii exemplum commentarii Probiani, id quod pro certo affirmare non dubitauit R. Sabbadini l. s. p. 161. Atque Egnatium cum anno 1507 librum ederet, non ex suo ingenio paeclari grammatici nomen anonymo commentario addidisse inde comprobatur quod Petrus Crinitus anno 1496 exemplum suum iam Probi nomine insignitum inuenit. Quid? quod praeter codicem Bobiensem atque adeo ipso hoc codice obliuione etiamtum obruto idem qui nunc circumfertur commentarius Probianus Probi nomine inscriptus legebatur? Nam Angelus Politianus qui anno 1494 mortuus est neque a Georgio Merula impetrauerat ut libros ab illo repertos inspiceret (Oscar v. Gebhardt, Centralblatt f. Bibliotheksw. V [1888] p. 345—348; Sabbadini l. s. p. 156 sqq.) compluribus ante annis quam inuenti sunt illi libri Bobienses, eundem quem nos nunc tenemus commentarium Probi nomine inscriptum cognouit (v. Gebhardt l. s. p. 387). Nimirum haec perhibet Italus ille in capite L Miscellaneorum (quae edita sunt a. 1489): „Sed enim qui Probus uulgo putatur haud improbus omnino Maronis enarrator, et ipse testem citat Hesiodum fabulamque pene sicut haec est Apollodori quamquam breuissime perstringit. Hunc autem in eis errorem fuisse mentis animique, boues ut se crederent, quod Vergilius quoque in Bucolicis significat, neutiquam uideri fabulosum debet etqs.“ Significasse Politianum adnotationem quae nunc legitur in commentario Probiano ad buc. VI 48 appareat. Denique Politianum ipsum Probi commentum adhibuisse ex eo intellegitur, quod in bybliotheca Parisina adhuc adseruatur Politiani exemplar Vergilianorum carminum amplis adnotationibus instructum quas sua manu Italus illustris ex illo commentario adscripsit (v. Gebhardt l. s. p. 388)¹⁾. Praeterea Probi commentum altera quinti decimi saeculi parte

1) Hyginus Funaioli, quo erat in me studio officioque, nuperrime dum Parisiis uersatur iterum hoc Politiani exemplar inspexit frequentissimasque adscriptas esse confirmauit ipsoque Probi nomine insignitas adnotationes earumque contextum fere ad uerbum conuenire cum eo quem nos tenemus commentario Probiano.

non semel a uiris doctis adhibitum esse confirmatur testimonio quod attulit Sabbadini (*Studi ital. di filol. class.* XI [1903] p. 336) cum de codice Martialis (*Ambros. B* 131 sup.) saec. XV referret, in quo ad IX 49, 3 adscriptum legitur: „Parthenius cubicularius Domitianus, ut meminit Probus super Vergilio in commentario Buccolicorum, uolumen de amantibus scripsit, ideo eum Martialis uatem appellat.“ Quae qui adscripsit, repetuit ea quae leguntur in commento Probi ad buc. III 62, neque tamen ex codice Bobiensi anno 1493 inuenio transcripta esse possunt in codicem Martialis saec. XV. Denique anno 1478 scriptori codicis Ambrosiani R 13 sup. commentarium Probianum innotuisse docuit Sabbadini l. s. p. 133; cf. *ibid.* p. 161.

Hoc igitur tenendum est: codicis Bobiensis et apographorum nomen Probi perhibentium auctoritas confirmatur et aliorum et Politiani testimonio qui Bobiensem illum codicem non inspexerunt.

Sublati igitur difficultatibus haesitationibusque quae adhuc tenerent uiros litteratos ne Probum commentarii Vergiliani auctorem esse concederent, confirmataque fide memoriae in Probi nomine tradendo, hoc restat officium ut natura commenti declaretur aperiaturque ratio qua ea quae aetatem tulerunt coniuncta sint cum Valerii Probi disciplina. Qua in re repetenda erit sententia Friderici Marx quam probauit Eduardus Norden (*Rh. M.* 61 [1906] 171), quaque naturam et indolem commenti recte definitam et expressam esse laudauit Paulus Wessner (*Asp. p. 12*). Quod si igitur ea quae nunc leguntur congesta in figuram commentarii, profecta sunt e lectionibus Berytii quas postmeridianis horis instituere solebat grammaticus, ipsa illa commentarii disiecta condicio atque incomposita quam Paulus Wessner uituperauerat (*Asp. p. 10*) adeo non ualet ad remouendam sententiam quae Probum auctorem esse adfirmet, ut Berytii rationem atque ingenium aperte demonstret.

Placet ultimum subiungere argumentum quo omnis Valerii Probi in recensendis scriptoribus opera eiusque ad haec tempora seruata uestigia apte inlustrentur. Neque enim cum quid de ueterum editionum ratione statuere uelimus, nostrorum temporum condiciones referendae sunt ad instituta antiquorum (cf. Louis Haenny, *Schriftsteller u. Buchhändler in Rom, Halle* 1884 p. 18; Th. Birt, *d. ant. Buchwesen* c. VII p. 342 sq.); siquidem antiqui aeui homo litteratus omnino non, si quid meditatus conscripserat, statim in uulgo hoc dimittendum esse sentiebat, immo animad-

uertere licet haesisse plerumque Romanae imprimis gentis uiros in diuulgandis scriptis (Haenny p. 19). Nunc uero, qui scriptorem recensuit, eum res ipsa deducere uidetur ut foras det hanc recensionem nouamque emitat editionem. Atque fieri solet ut non mediocri exemplariorum numero emisso simul statimque diuulgetur illius editoris opera atque innotescat, priora uero exempla sensim submoueantur. Qua in re diuersus mos erat apud antiquos, quorum consuetudines si respexeris, ueram editionem non dicas nisi eam primam. Neque enim omnino tum qui librum quandam repeteret uerbaque scriptoris recenseret, hoc propter nouam sibi faciendam esse editionem sentiebat. Suum emendabat adnotabatque exemplar idque cum amicis communicabat, sicuti Fronto (p. 190 Nab.) libros Ciceronianos sua manu emendauit distinxit adnotauit eosque Volumnio Quadrato amico legendos misit neque tamen eos in uulgs exire uoluit (cf. Birt, l. s. p. 346). Atque si de Probo quaeras quaenam ediderit, Suetonius expressis uerbis tradidit Berytium edidisse non nisi exigua illa de minutis quaestiuculis. Neque tamen minus aperte idem Suetonius tradit, Probum scriptores ueteres recensuisse, id quod praeterea confirmatur testimonio fragmenti Parisini de notis criticis. Unde apparet Probianas editiones Vergilii Lucretii Horatii Terentii Persii in uulgs emissas esse nullas neque a bybliopolis in tabernis uenissem, uerum memoriam recensionis Berytii inter familiares grammaticosque tantummodo conseruatam traditamque esse neque ultra hos terminos exiisse. Iam intellexeris qui factum sit ut omnis fere Berytii recensionis notitia continueatur adnotationibus commentatorum; quae memoria nitebatur uel exemplari ipsius Probi sicuti re uera carminum Vergilianorum exemplar Probianum inter familiares conseruatum fuisse testimonio Seruii ad Aen. I 21 constat, uel exemplaribus sectatorum ad magistri lectiones postmeridianas adnotatis (cf. Frid. Marx, Proleg. ad Lucil. p. LXXII sqq.). Neque iam mireris quod tam exigua hodie seruentur recensionis Probianaee uestigia in ipsis scriptorum codicibus quodque tam praeclarae emendationes uelut illud PHOEBIGENAM ad Aen. VII 773, tam speciosae mutationes uelut illud FLOROS ad Aen. XII 605 neque omnibus Vergilianis libris exhibeantur et adiunctae sint suo loco a posterioris demum aeui uiris litteratis qui eas cognouerint ex ipsa illa commentatorum notitia (cf. p. 40); sicuti in Sallustianis libris nonnullis a posteris demum additum est Probianum illud LOQVENTIAE (cf. p. 44), quod Fronto etiamtum non legerat in suo exemplari.

Cum poetarum recensionibus, in quibus usus est notis criticis, quodammodo coniuncti sunt¹⁾ commentarii quos scripsit de ceteris quae apud Romanos in usu essent notae uel signa quorum significationem aperiret, ueluti ille ‘de iuris notarum’ commentarius qui editus est GL IV 271 sqq. K cura Theodori Mommsen necnon ‘commentarius de occulta litterarum significatione in epistularum C. Caesaris scriptura’, quem in scriptis Valerii Probi enumerat Gellius XVII 9, 5 (cf. Suet. Aug. 88).

De commen-
taris quo
scriperit
Probus de
notis

Epistulam, quam affert Gellius (IV 7) Valerii Probi grammatici ad Marcellum scriptam super accentu nominum quorundam Poenicorum, recte attribueris minutis quaestiunculis quas uocat Suetonius quasque uiuum edidisse Probum ipsum tradit. Epistulae forma qua res ad litteras grammaticamque spectantes tractarent, uiri Romani libenter uti solebant (cf. Hygini Funaioli, Gram. Rom. Frigm. indicem IV p. 578 sqq.) et complures tales epistulas in libri formam cogebant, ueluti Catonis primus liber epistolcarum quaestionum affertur a Gellio (VI 10, 2), item Varronis quartus liber epistolcarum quaestionum (Gell. XIV 8, 2; cf. Charis. 104, 20; 109, 1; 73, 3; Non. p. 121; 144; 419; 473). Messala Coruinus in quadam epistula grammaticas res tetigisse apparebat (Suet. gram. 4), Verrius Flaccus eo genere usus est (Seru. Aen. VIII 423); de Ateio Capitone, Asinio Polione, de Sulpicio Apollinari conferas Martini Hertz edit. Gellianae ind. auctorum. Probus igitur usitatissimo genere utebatur quodque praeterea optime conueniebat ingenio eius atque segnitiei, quippe qui tamquam frustatim studiis uacaret (‘inter uulgares sermones legere solebat idque perraro’) et assidui laboris impatiens ordinatum et amplioris ambitus librum perficere²⁾ non ualuerit. Marcellus ille quis sit certa ratione assequi non possumus, probabilibus rationibus possumus. Nam nescio an recte contendenter quispiam hunc eundem esse atque Marcellum illum Vitorem cui Quintilianus opus dicauit (prooem. 6). Quantopere enim Quintiliani in litteris uoluntas atque iudicium congruerit cum iudicio Probi, supra dictum est (p. 7). Marcellus uero multi fuit et in doctrina et

De scriptis
grammaticis

1) cf. Theodorus Mommsen, Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1853, 130.

2) nam de ‘siluae’ natura quam eum reliquisse Suetonius tradit, conferenda sunt uerba Quintiliani X 3, 17 ‘Diuersum est huic eorum uitium qui primo decurrere per materiam stilo quam uelocissimo uolunt et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt; hanc ‘siluam’ uocant. Repetunt deinde et componunt quae effuderant; sed uerba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis quae fuit leuitas.’

in re publica usus; nam de muneribus publicis uide Prosopogr. imperii Rom. III p. 455, eximio litterarum amore eum flagrantem Quintilianus praedicat (prooem. 6), potentis eloquii uirtutem effert Statius (silu. IV 4, 64).

Άνωμαλίας quae dicitur praecepta protulit libro ‘de inaequalitate consuetudinis’ (Charis. GL I 212, 7 K) de cuius inscriptionis ui atque significatu conferas Gell. II 25, 3 ‘άνωμαλία est inaequalitas declinationum consuetudinem sequens’; Varro de l. L. VIII, 23 p. 172 Sp.: ‘ac potius sequendam (dis)similitudinem quae in consuetudine est quam uocant ἀνωμαλίαν’; Prisc. GL II 417, 25 K ‘inaequalium id est anomalorum’. Nam quantopere exhorruerit Valerius Probus rationem eorum qui inde a Stilone (Marx, Proleg. ad Her. p. 138) linguam Latinam ad certas leges exigenter, intellegas ex iis uerbis quibus stomachum erupit in grammaticos rationis sequentes (Gell. XIII 21, 1). Probus enim sermonem ipsum normam esse uolebat recte loquendi ideoque eum quem integrum incorruptumque iudicabat sermonem ueterum obseruabat consuetudinemque idoneorum scriptorum (cf. p. 9). Quod uero studium quantopere oppositum fuerit ἀναλογίας ἐξεργισμῷ, praecclare pronuntiat Quintilianus I 6, 16: ‘non enim cum primum fingerentur homines, Analogia demissa caelo formam loquendi dedit, sed inuenta est postquam loquebantur, et notatum in sermone quid quoque modo caderet. itaque non ratione nititur sed exemplo nec lex est loquendi sed obseruatio, ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit quam consuetudo’; ubi ipsum Berytum audire tibi uideris qui ‘finitiones illas praerancidas et fetutinas¹⁾ grammaticas’ (Gell. XIII 21, 1) quales Charisio teste (GL I 129 sq.; 137 sq. K) Aelius Stilo Varro Plinius maxime excogitauerant, fortiter spernebat et obseruationum reliquit siluam sermonis antiqui.

Praeterea libros de dubio perfecto²⁾ et de dubiis generibus³⁾ recte Probo tribuit Martinus Schanz (Hist. litt. Rom. II² 2, p. 341). Libellum porro ‘de temporum conexione’, quem Seruius consuluit ad Aen. VII 421, ad Probum referendum esse inde comprobatur

1) cf. Suet. Aug. 86 ‘reconditorum uerborum, ut ipse (*Augustus*) dicit, fotoribus’.

2) Quamquam I. W. Beck (l. s., cf. huius disputationis p. 30) a Probo abiudicauit librum de dubio perfecto ‘cuius nec uola nec uestigium apud antiquos scriptores extaret’ (p. 6). Sed cf. Fröhde, Fleck. Jahrb. 151 (1895) 285.

3) cf. H. Neumann, de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus, diss. Kiliae 1881 p. 38 adn.

quod in toto commento, ubicumque nomen Probi occurrit, non nisi de Berytio cogitandum est; tum quod dicit 'libellus', hoc cadere uidetur in ea quae Suetonius tradidit de paucis illis et exiguis editis a Valerio Probo; denique eadem ratio quae ad Aen. VII 421 secundum hunc librum de conexione temporum exposita est, occurrit in adnotatione ad Aen. III 3 quae certo Berytio tribuitur¹). Qui uero liber enumeratus est a Montefalconio in indice codicum bybliothecae Pontiniacensis (Steup 180), dubitari potest num hoc pertineat uel omnino ad Probum, cum tales inscriptiones usitatae essent in eiusmodi libris qualis fuit liber Bedae 'de temporum ratione' quo temporum et annorum computatio a Dionysio Exiguo instituta producta erat usque ad a. 1063 p. Chr. Denique ille quoque liber quem Pompeius GL V 182, 30 K affert 'de genetiu Graeco' scriptum, Berytio tribueundus est, ubi quae adicit Pompeius 'tantummodo hoc solum tractat in illo libro, de hoc casu' mirum in modum repetere uidentur ea quae Suetonius tradidit de exiguitate scriptorum Valerii Probi. Accedit quod reuera Probus de hoc genetiu quae siusse uidetur (Seru. Aen. I 441; cf. XII 649). Parum digna fide sunt testimonia Rufini (cf. K. Cybulla, de Rufini Antiochensis commentariis grammaticis, diss. Königsb. 1907 p. 32) qui in afferendis uerbis uel libris aliorum minime curiosus fuit, quippe qui uerba quae Firmiano attribuit GL VI 564, 7 K rursus eadem Victorino attribuerit 556, 23²). Tum ea quae 577, 8 ad Probum retulit, et in M. Plotii Sacerdotis libro leguntur et in catholicis Probi GL IV 42, 10 K. Accedit quod ne omnes quidem codices nomen Probi exhibeant. Quapropter Rufini testimonia neglegenda esse uidentur³); nihilominus ea quae

1) Quamquam Iulius Steup (p. 180) hoc quoque loco Berytium amouebat illa opinione fretus qua inde a Seruui (Diomedis fere aequalis) temporibus grammaticos confudisse Probi Diomedisque nomina arbitrabatur doctus ille quidem uir, sed subtilitatum argutiarumque nimis indulgens. — Ex Probi 'de conexione temporum' Diomedem sua 'de coniunctione temporum' (GL I 388, 10 sqq. K) excerptissime H. Keil (GL IV praef. XIX; symb. phil. Bonn. p. 94 sq.) significauit; cf. Otto Ribbeck, prol. ad Verg. p. 148.

2) quos locos ex eodem fonte haustos esse arbitratur Cybulla p. 13.

3) Atque quod Rufinus 577, 8 affert 'Probus de numeris oratoriis sic dicit', tamquam commentarius quidam sit ille 'de numeris oratoriis', caue ne decipiari. Nam simili modo affertur 567, 30 'Cicero de numeris oratoriis sic dicit', ubi quae sequuntur uerba sumpta sunt ex Oratore 63, 212; cf. praeterea quae de Valerio Probo Berytio disputauit H. Borneque, Quid de structura rhetorica praeceperint grammatici atque rhetores latini, Paris 1898 p. 68—69.

Rufinus tradit GL VI 565, 1 K egisse Probum de mensura in fabulis Terentii et Plauti, inter testimonia Berytii recte receperis; nam Probum hac in re uersatum esse uel unum caput Gell. VI 7 comprobat. De 'Valerii Probi de nomine' commentario (GL IV 205 sq. K) egit Oscar Froehde (Fleck. Jahrb. 151 [1895] p. 287; Suppl. XIX [1893] p. 157 sq.) qui totam Probi disputationem pro excerptis ex libris Plinii habendam esse docuit; sed cf. Maximilianus Ihm, Rh. M. 52 (1897) 633.

Appendicem Probi quae dicitur qui ediderunt recensuerunt illustrauerunt, eorum nomina conlata sunt in 'Altfranzösisches Übungsbuch v. W. Foerster et E. Koschwitz, 3. Aufl. Leipz. 1907 p. 226 et 263'.

Denique in codice Vindobonensi 16 tractatui 'de catholicis Probi' subiecta est disquisitio de ultimis syllabis quam Parrhasius Probi nomine inscrispit. Quod cum conieciisset Italus ille, uiro Mineruam fauisse Carolus Hosius pronuntiauit in praef. edit. Gell. p. XXVII. Atque constat analogiae partes qui defenderent grammatici ex ultimis potissimum syllabis leges atque normas quibus adstringerentur uerba deduxisse (Quintil. I 6, 4: 'eius (analogiae) haec uis est, ut id quod dubium est ad aliquid simile de quo non quaeritur, referat et incerta certis probet. quod efficitur dupli uia: comparatione similium in extremis maxime syllabis, propter quod ea quae sunt e singulis negantur habere rationem, et diminutione'). An Probus, ut analogiae leges confunderet profligaretque, in ipsam inuasit prouinciam ex qua maxime subsidia trahebant aduersarii? Quod ad diminutiua, alterum illud proportionis praesidium, pertinet, certe ita fecit, teste Prisciano GL I 115, 12 K: 'Probus¹⁾ etiam ponit hoc glandium haec glandula (pars est intestinorum), ensis ensiculus ensicula, praeterea haec beta malua, hic betaceus maluaceus'; 259, 17: diminutio tamen a masculino fit "aculeus" teste Probo'. Istiusmodi sane exemplis perturbabatur argumentatio grammaticorum atque lex illa: 'diminutio genus detegit' (Quint. I 6, 6; cf. Pomp. GL V 164, 13 K: 'Ait Plinius Secundus secutus Varrom: quando dubitamus principale genus, redeamus ad diminutionem et ex diminutiuo cognoscimus principale genus').

1) Berytium hunc esse nuperime confirmauit Ludouicus Iep, Philol. LXVII (1908) 35.